ROMANA CENSUS PRO MONASTERIO S. SILVESTRI CUM FRANCISCA CURTIA.

Casus decisus per Rotam pro Monasterio.

Facta emptione pro persona nominanda, & sequuta nominatione, an creditores in dicta emptione accollati, jus habeant contra primum emptorem, ejusque bona vigore suæ obligationis, vel potiùs facta nominatione, omne jus activum, & passivum transeat in nominatum, & resolvatur quoad nominantem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Emptione facta pro persona nominanda, & facta nominatione, omne jus activum, & passivum cessat in primo emptore.*
3 *Et an attendenda sit distinctio inter nominationem voluntariam, & necessariam.*
4 *Declaratur quando procedat conclusio, quod emptor cum pacto de retrovendendo est perfectus Dominus.*
5 *Quid ubi dicatur emi pro se, & persona nominanda.*

DISC. XXIX.

USque ab anno 1609. Julianus Grifonius, pro se, & persona nominanda emit a Constantia vineam, in se accollando in partem pretii censum in sorte scutorum 400. super vinea impositum à venditricis parentibus ad favorem Pinotti, & biduò post Grifonius nominavit in emptores Honoratum Realem, & Nicolaum Morrum nominationem acceptantes, omniaque contractus onera in se assumentes cum subsequuto effectu; Post longissimum autem temporis decursum, de anno scilicet 1655. Curtia tanquam cessionaria hæredum Pinotti creditoris censuarii judicium immissionis instituit ex remedio Salviani ad quoddam casale possessum per Monasterium Monialium S. Silvestri de Capite, tanquam de bonis dicti Grifonii emptoris, atque sententiam favorabilem contra Monasterium indefensum reportavit, à qua commissa per appellationem causa in Rota coram Celso, datoque dubio, *An actrici concedendæ esset immissio*, per causæ Patronum pro Monasterio scibentem, plures deducebantur exceptiones in nudo facto consistentes, circa deficientem probationem secundi extremi, quod scilicet controversum casale fuisset de bonis dicti Grifonii, qui debitor præsupponebatur, ac etiam circa primum extremum crediti, quod impugnabatur ratione simulatæ cessionis, sed cum hæc omnia consisterent in facto, nullæ desuper, vel modicæ erant partes Scribentis in jure, quæ solum restringebantur ad punctum, an posita etiam dictorum extremorum justificatione, stante quod emptio prædicta facta erat pro persona nominanda, cum subsequuta nominatione post biduum, duraret dicti emptoris obligatio erga creditores in dicta emptione accollatos, vel potiùs universum jus activum, & passivum dicti contractus transierit in nominatum.

Scribens pro Monasterio reo convento, dicebam juxta hanc secundam partem esse regulam, ut scilicet facta nomi-
2 natione, universum jus activum, & passivum transiisse dicatur in nominatum, ac resolutum quoad nominantem, qui habendus est pro simplici organo, seu instrumento, quo mediante actus ab initio directè, ac immediatè initus censetur inter venditorem, & nominatum tam ad effectum, ut nominans solutus remaneat ab omnibus obligationibus in contractum deductis, transeuntibus in nominatum, quam etiam ad alterum, ut ipsius ita ementis creditoribus, nullum jus ad bona sic empta competat, Anchar. *cons.* 127. *in princ.* & post alios antiquiores, Surd. *dec.* 182. *in fin.* & 126. *princ.* Gregor. *dec.* 227. *n.* 3. *cum seqq.* Nogueroll. *allegat.* 11. *n.* 80. *cum seqq.* Cenc. *de censib. q.* 67. *n.* 14. & *seqq.* Salgad. *in labyr. par.* 2. *cap.* 13. *n.* 28. & *per tot.*

Et quamvis per Alex. *cons.* 232. *lib.* 6. & *seqq.* in proposito
3 adhiberi soleat distinctio inter nominationem necessariam, & voluntariam, quasi quod in primo casu conclusio procedat, non autem in secundo, ad quod conferunt, quæ ex Amat. *res.* 21. & *aliis*, habentur in materia obligationis causativæ, seu occasionalis deduct. *sub tit. de Regalib. ad materiam officiorum disc.* 8. & 9. quod scilicet conclusio super resolutione obligationis causativæ ob cessantem possessionem rei, cujus intuitu obligatio facta est, procederet, ubi res cesset casu, vel facto tertii juxta ea, quæ habentur supra in Sutrina *disc.* 23. secus autem, ubi provenit ex causa merè voluntaria; Nihilominus in his terminis, quando emptor declaravit pro alio acquirere, emendo scilicet pro persona nominanda, tunc ista opinio Alex. est rejecta, juxta firmata *in allegata dec.* 227. *Gregorii*, quæ tanquam magistralis in Curia circumfertur, passimque recepta est.

Potissimè verò eam procedere dicebam in hac facti specie, in qua agebatur de nominatione ferè instantanea post biduum, ex qua observantia, clara desumebatur voluntas emptoris gerendi actum alieno nomine, unde propterea non intrabat difficultas, quæ forsan cadere posset, ubi post notabile intervallum hujusmodi nominatio tanquam species novæ venditionis facta esset.

In contrarium scribentes deducebant auctoritatem Gabrielis *cons.* 80. *nu.* 4. *lib.* 1. Martæ *voto* 127. *dec.* 64. *n.* 7. 169. 4
n. 2. ac etiam Rotæ *dec.* 266. *nu.* 1. *par.* 4. *rec. tom.* 2. in quibus firmatur emptorem pro persona nominanda dici verum dominum, & emptorem; Verùm facilis erat solutio ex earumdem auctoritatum lectura, cùm percutiant tempus intermedium inter emptionem, & nominationem, in quo tempore, tam quoad fructus, quam quoad onera, & reliquum jus tam activum, quam passivum, ille dicitur emptor, & dominus, sed punctus est post factam nominationem, & ab eo tempore citrà, in quibus terminis dictæ auctoritates non loquuntur, sed potiùs præsupponunt contrarium, ut præsertim habetur *dec.* 615. *n.* 1. *par.* 2. *recent.* quæ per eosdem scribentes allegabatur.

Replicabant iidem, hæc procedere, ubi emptio facta esset pro persona nominanda simpliciter, secus autem, ubi 5
pro se, & persona, seu personis nominandis, quasi quod isto secundo casu (qualis erat præsens) nominans adhuc post factam nominationem remaneret emptor, juxta decisionem 40. Ottoboni *dec.* 208. *par.* 4. *rec.* Sed pariter minus tutum fundamentum erat, quoniam casus dictæ decisionis est ille, de quo actum habetur in Romana participationis *sub tit. de locat.* ubi scilicet quis suscipit appaltum pro se, & nominandis ipso etiam contractu permanente; Atque ita decisum 17. Maii 1662. Celso apud eum *dec.* 377. neque scio, an causa ulteriorem progressum habuerit.

ANNOT. AD DISC. XXIX. & XXX.

DE emptione facta pro persona nominanda, habetur etiam actum in hoc *tit. de empt. disc.* 50. ubi an teneatur de evictione, qui emendo rem pro persona nominanda, alterum nominavit, cum aliqua alteratione pretii, & pactorum.

ROMANA MANUTENTIONIS PRO FRANCISCO GULIELMO. CUM N.

Casus disputatus coram Prælato judice Commissario, credo pro Francisco resolutus.

De eadem materia emptionis factæ pro persona nominanda, an fieri possit nominatio post annum.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversiæ.*
2 *An & quando facta emptione pro persona nominanda fieri possit nominatio post annum.*
3 *Declaratur quando, & ad quem effectum dicta quæstio intret.*
4 *Quando secundo creditori competat jus offerendi adversus emptorem.*

DISC. XXX.

FActa per N. emptione pro persona nominanda cujusdam vineæ subhastatæ ad instantiam Guglielmi cre- 1
ditoris, subsequuta post annum nominatione in persona ejusdem Guglielmi; Cum hic à priori domino, qui subhastationem passus fuerat, in possessione turbaretur, unde manutentionis remedium intentavit, de ejus non jure per alteram partem opponebatur, quod non esset legitimus emptor, stante quod nominatio facta erat post annum, quando amplius fieri non potest juxta opinionem, quæ magis communis videtur ex deductis per Surd. *dec.* 226.

Scribens pro Guglielmo dicebam, quod quidquid sit de hujus-

2 hujusmodi quæstione in abstracto, in qua ut etiam post annum talis nominatio fieri possit plures tenent, de quibus apud eumdem Surd. & Riminald. jun. *cons.* 163. *in fine*; Id procedit in dubio, & ubi nominatio nullis est suffulta adminiculis, ac præsumptionibus suadentibus, revera ementem, non pro se, sed pro nominato emisse, quamvis ex negligentia nominatio ita dilata esset, ut ex Dec. *cons.* 543. *n.* 12. *cum seqq.* & aliis benè probat idem Surd. *dec.* 325.

Id autem in præsenti concurrebat ex pluribus adminiculis, & circumstantiis; Primò scilicet, quod per dictum oblatorem nullum fuit solutum pretium, quod Guglielmus creditor ita tacitè sibi ipsi solvit; Secundò, quod dictus emptor nunquam possedit, duas circumstantias in specie ponderat Surd. *ubi sup.* Tertiò ex verisimilitudine oriente à communi usu; Licèt enim juxta receptam opinionem creditores, ad quorum instantiam fiunt subhastationes non prohibeantur tanquam tertii publicè, & palam offerre, atque cum aliis licitatoribus concurrere; Attamen frequentius id agere solent mediante aliqua persona supposita offerente pro persona nominanda juxta casum text. *in l. & qui sub imagine, C. de distract. pignor.* Quamvis verè iste sit potiùs abusus, ac indocti vulgi cautela præjudicialis, quoniam emendo per seipsos publicè, & palam tanquam tertii oblatores probabilius eximuntur à jure offerendi, aliisque præjudiciis, quibus subjacent ita emendo per interpositas personas, ex deductis in Bonon. prædii 15. Martii 1660. & 18. Februarii 1661. coram Bevilaqua, editis in causa, de qua infrà *disc. seqq.*

Unde quicquid sit de actu benè, vel malè gesto ad alios effectus, cum id de facto sit frequens, satis tamen attendendum est pro adminiculo veritatis, seu agentium voluntatis, pro qua metienda non attenditur, quomodo actus meliùs fieri debeat, sed quomodo soleat, sive qualis esset facientis opinio, quamvis falsa, ideòque ex omnibus dictis circumstantiis insimul unitus, dicta nominatio, utpotè satis adminiculata, videbatur attendenda, quamvis facta post annum.

Cessabat propterea omnis difficultas, quoniam hujusmo-
2 di quæstio intrat, ubi agitur de jure tertii, cujus interfit rei emptæ dominium, emptori non autem nominato quæsitum esse cum impedimento retrotractionis, itaut nominatio de altero facta, speciem novæ venditionis habeat sub hoc vocabulo palliatæ, ad fraudandos forsan creditores emptoris nominantis, vel ad fraudandam gabellam contractuũ, quæ in casu veræ nominationis unica debetur, cum unicus reputetur contractus per nominatum ab initio gestus per medium, seu organum nominantis, ubi verò nominatio non est legitima, sed continet speciem novæ venditionis ita palliatæ, gabella debetur publicata cum similibus, quę tertii fraudem, vel præjudicium continere possunt, atque ad istos effectus loquuntur DD. hujusmodi quæstiones tractantes, ut habetur *sub tit. de locat.*

Secus autem, ubi hoc tertii præjudicium cessat, atque id opponitur ab eo, cujus nihil interest, venditionem ab initio substantiatam esse in nominante, vel in nominato, quoniam utcumque fit, semper iste eamdem actionem exercere potest, cum dilemmate, quod in præsenti deducebam; Aut enim nominatio est benè facta, & nominatus rectè agit ex persona propria tanquam emptor ab initio; Aut non est benè facta, itaut resolvatur in novam emptionem, seu cessionem sibi factam à primo emptore, & pariter tanquam cessionarius, atque istius nomine exercere potest omnia jura ejus auctori competentia, ut de cessionario agente etiam in possessorio saltem sub nomine cedentis, & tanquam istius procuratore in rem propriam, post Menoch. & alios habetur apud Posth. *de mamut. obser.* 55. *n.* 13.

Quinimò observabam, speciem calumniæ, ac malignitatis in oppositore dignosci, hujusmodi punctum assumendo (nisi diceretur esse potiùs ignorantiam sui defensoris) cum sibi magis expediret ipsum creditorem, ad cujus instantiam facta erat subhastatio censeri emptorem ab initio,
4 sub alterius simulato nomine, quoniam tali casu intrare poterat remedium juris offerendi, quod secundo creditori competit ipsi etiam debitori proficuum, quod negatur in altero, quando scilicet tertius verè emit pro seipso, & deindè ex intervallo (cessante simulatione ab initio) per novam conventionem eandem rem vendit creditori, ad cujus instantiam subhastata fuerat, ut ita distinguendo habetur in allegatis decisionibus editis in Bonon. prædii coram Bevilaqua, de qua infrà *d. disc. seqq.*

BONON. PRÆDII PRO CAMILLA ZAMBECCARIA CUM CAMILLO SCAPPIO.

Casus variè decisus per Rotam.

An & quando adversus ementem bona vendita jure creditoris, venditoris creditoribus competat jus offerendi; Et quid, ubi ipsemet creditor, ad cujus instantiam venditio facta est, emptor quoque existat sub alterius simulato nomine.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quando venditio subhastæ est nulla, competit sine dubio jus offerendi, & de ratione.*
4 *Regula est, ut contra ementem jure creditoris non detur jus offerendi.*
5 *Quid contra ipsum creditorem ementem, ut competat.*
6 *Creditor potest licitari tanquam quilibet extraneus.*
7 *Conclusio, de qua n.* 6. *procedit solùm præsumptivè.*
8 *Declaratur conclusio, de qua num.* 6. *ut non procedat, quando emit per alium.*
9 *De declaratione hujus conclusionis, & quando procedat.*
10 *In eadem persona materiali dantur plures personæ formales.*
11 *Quando propriè dicatur fieri venditio jure creditoris.*
12 *Declaratur conclusio, de qua n.* 8.

DISC. XXXI.

SUbhastato ad instantiam Camilli, & fratrum contro- 1
verso prædio, illius licitator fuit Dominicus, qui illinc ad aliquos menses pro eodem pretio illud cessit eidem Camillo, contra quem Camilla creditrix ejus, qui subhastationem passus fuerat, jus offerendi intentavit, atque in 2
partibus obtinuit; Introducta verò per appellationem causa in Rota coram Bevilaqua sub die 15. Martii 1660. pro dicti juris offerendi exclusione ad favorem Rei, & possessoris prodiit resolutio, à qua tamen in repropositione sub die 18. Februarii 1661. recessum fuit, respondendo pro confirmatione sententiæ ad favorem Camillæ, atque in hoc statu causa per concordiam terminata fuit.

Mihi pro Camilla scribenti, reflectendo etiam ad solam veritatem, probabilior videbatur posterior resolutio absque necessitate altioris inspectionis in hujusmodi disputationibus assumptæ super competentia hujus juris adversus ipsum creditorem per seipsum, vel alium licitantem, ut infrà, ex solo plano, ac certo motivo nullitatis dictæ subhastationis, ex pluribus defectibus resultantis; Illa enim posita, de plano resultat competentia juris offerendi, non attento, quod agatur de venditione facta jure creditoris, ex 3
ea clara ratione, quod stante nullitate, dominium abdicatum non fuit à debitore, neque transfusum in emptorem, qui proindè verè talis dici non potest, sed nudus detentor, juxtà *dec.* 224. Franch. cum concordan. collectis per Posth. *de subhastat. inspect.* 17. *num.* 121. & *seqq.* Arias de Mesa *lib.* 1. *var. cap.* 28. Carleval. *de judic. tom.* 2. *disp.* 24. *num.* 7. *cum seqq.* Fontanell. *dec.* 435. & 436. & Rota sæpiùs præsertim in Anconitana bonorum coram Bichio *dec.* 108. apud Posth. *de subhastat. repetit. dec.* 61. post Merlin. *de pignor.* & in hujus causæ secunda decisione, cum sit conclusio nullam habens difficultatem.

Quatenùs verò, cessante hoc motivo pertinet ad punctum juris offerendi adversus validè ementem bona sub 4
publica hasta vendita jure creditoris; Non dubitabatur hinc inde de regula juris offerendi exclusiva, quatenùs de tertio licitatore ageretur, juxtà claram dispositionem text. *in l.* 1. & 2. *C. si antiquior credit. cum concord.* apud Franch. *dec.* 69. & pleniùs, magisque ex professo per Rotam apud Duran. *dec.* 445. cum qua passim proceditur, utpotè in materia magistrali.

Verùm quæstio erat, an eadem regula procederet, ubi ipsemet creditor, ad cujus instantiam fit venditio, licitasset, an scilicet jure cujuslibet licitatoris habendus es- 5
set, vel potiùs præsumendum sit eum licitasse, pignoris conservandi gratia, non autem animo acquirendi dominium, diversamque personam emptoris induendi juxtà celebrem, ac magistralem *decis.* 69. Franch. super qua modernio-

derniorum disputationes pro utraque opinione circumferuntur.

In hoc autem puncto, Rota etiam in prima decisione possessori favorabili, admittit opinionem pro juris offerendi competentia, quatenùs ab initio ipse creditor per se ipsum, vel per interpositam personam emptionem fecisset, negat verò ex ea facti circumstantia, quod res empta fuisset à tertio, qui deindè ex plurium mensium intervallo jam effectus perfectè dominus à dicto jure offerendi tutus, eandem rem vendidit uni ex creditoribus, non tanquam creditori, sed tanquam tertio; Quia verò ex pluribus justificationibus probatum fuit, verè ab initio animum creditorum fuisse emendi pro seipsis, licitatoris verò personam simulatè adjectam esse, hinc proindè procedendo cum dispositione text. *in l. & qui sub imagine C. de distract. pignor.* contrarium dictum fuit, quasi quod tunc ipse creditor ab initio directus emptor simulato alieno nomine fuerit.

Quamvis autem, ut dictum est ex præfato altero motivo nullitatis, posterior resolutio, justa, benèque fundata esset; Attamen quatenus ad istud motivum pertinet, mihi quamvis illud deducenti, ac obtinenti, parum placuit; Posito enim, quod subhastationis actus validè, ac sincerè, fer-
6 vatisque aliis de jure servandis initus fuerit, adeò ut contra extraneum licitatorem sine dubio præclusum sit jus offerendi, nulla videtur suppetere congrua ratio, cur illud competere deberet adversus ipsum creditorem licitantem, cum hodie recepta sit conclusio, super qua ad nimiam sacietatem plura deducit collector, Posthius *hoc tract. de subhast. inspect.* 32. & est nedum in Rota, & Curia, sed ubique receptissimum, ut possit creditor, ad cujus instantiam fit subhastatio, publicè, palam, ac bona fide inter plures oblatores comparere, ac licitari, cum nulla ratio suppetat, cur qualitas creditoris eum facere debeat deterioris conditionis quocumque extraneo, cique denegari debeat facultas competens cuilibet de populo.

Dubitandi enim ratio ponderata per antiquiores deductos apud Franch. *d. dec.* 69. fundatur in simplici præsumpti-
7 one juris, quod scilicet creditor emendo bona, debitoris, id agere censeatur potiùs pignoris confervandi gratia, quam animo emendi; Hæc autem simplex præsumptio sine dubio cessat ex contraria veritate, qua concurrente, quod scilicet verè creditor in animo habuerit induendi diversam personam emptoris, non videtur quare dictæ præsumptioni operatio tribuenda sit.

Et quamvis ob dispositionem dicti textus *in l. & qui sub imagine Cod. de distract. pignor.* procedi videatur cum di-
8 stinctione, ut creditori licitum sit personam licitatoris induere, atque in hoc jure cujuslibet extranei reputari, quando publicè, & palam per seipsum directè emat, secus autem alterius personam supponendo; Attamen ubi agitur de venditione subhasta, quæ judicis publica auctoritate validè, ac sincerè, servatis servandis fiat, non videtur, ubi hæc distinctio fundata sit, Dispositio enim dicti text. *in l. & qui sub imagine*, procedit retentis terminis, in quibus loquitur, quando scilicet ipse creditor in vim facultatis sibi à debitore, vel à lege attributæ, pignus vendit privata auctoritate; Tunc enim cum legalis, vel conventionalis administratoris personam gerat justum est, ut sibi neque per seipsum, neque per interpositam personam præcludatur via emendi, ne aliàs ad propriam utilitatem pro vilissimo pretio vendat, atque supplantet debitorem sub ejus administratione viventem; Hinc propterea, ideò prohibitum est indirectè emere sub simulato alterius nomine, quia directè quoque, ac per seipsum est prohibitus id agere.

Ubi verò cessat ista ratio, quia nempè creditor non curet uti jure sibi alias competente vendendi ejus auctoritate pignus conventionale, sed illud effectum prætorium ponitur sub publica administratione judicis, qui ad publicam hastam illud vendi mandat, & quo casu directè, ac immediatè receptum est creditorem, tanquam tertium licitari posse, non
10 videtur, quæ lex, vel ratio prohibeat id fieri mediante persona fiduciaria, quoniam ut advertitur *sub tit. de camb.* & alibi pluries, in jure damnata est simulatio actus alteri præjudicialis, complicans mendacium, quia nempè; unus actus forsan prohibitus, sub alterius actus nomine simulatur, prohibita verò non est simulatio personæ, seu nominis, quoties in reliquis concurrat sinceritas actus, qui explicatur; cum nihil referat, illum sub unius, vel alterius nomine fieri, dum validè fieri poterat sub nomine utriusque. Ideòque licèt adhuc occasio non præbuerit, id particulariter disputandi, undè propterea omninò maturum judicium de super efformari non potuit, atque pragmatici cum dicta distinctione passim procedant, Attamen illa mihi non placet, & quando formiter disputaretur, probabilius crederem contrarium dicendum fore, quoniam esset dare inconveniens, quod nobilium, ac magnatum, ad quorum instantiam bona debitorum subhastantur, & quibus indecorum est in publica hasta cum pluribus oblatoribus contendere, deterior esset conditio, quam cujuslibet plebei.

Quodque diversa sit venditio, quæ fiat jure creditoris ab ipso creditore cum ea auctoritate privata, quæ à lege, vel ab 11
homine attributa est ab eo, quæ fiat per judicem auctoritate publica ad publicam hastam, patet ex plenè deductis apud Duran. *in d. dec.* 445. Cum enim per text. *in d. l.* 1. & 2. *C. si antiquior creditor*, negatur competentia juris offerendi adversus ementem jure creditoris, atque verè loquantur de illa venditione, quæ ab ipso creditore fiat, hinc examinatur quæstio, an idem procedat, ubi eadem fiat per Judicem ad instantiam creditoris, ex ea dubitandi ratione, quod tunc non jure creditoris fieri dicatur venditio, sed potius ab ipso debitore, cujus vice, ac nomine judex vendit, ex recepta propositione, quod factum Judicis dicitur factum Partis; Atque potiùs ex identitate rationis, ac adinstar isto ca-
12 su receptum est jus offerendi non intrare, quam quod verè dictæ leges illum percutiant, cum sine dubio sint inter se diversi, & consequenter improprium est his terminis applicare dispositionem dicti alterius text. *in l. & qui sub imagine*, &c. quæ verè procedit in venditione, quæ ab ipso creditore fiat.

ANNOT. AD DISC. XXXI.

De materia juris offerendi, habetur actum *sub tit. de credit. disc.* 32. 54. & 142. & latiùs *in eod. tit. disc.* 165. *& sub tit. de judic. disc.* 40.

ROMANA REDEMPTIONIS PRO CATANEIS CUM COSTIS.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Cataneis.

Quale pretium attendi debeat in retrovenditione, seu redemptione, an illud contractus, vel illud temporis, quò fit redemptio: Et de pacto redimendi necessario in venditore, an valeat; Et ubi restrictum est ad certum tempus, quomodo intelligendum sit; Et incidenter de aliis ad materiam juris redimendi.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod non valeat pactum obligativum venditoris ad redimendum.*
3 *Quando etiam in casu, quo sit facultativum in venditore pactum sit illicitum.*
4 *De validitate pacti, de quo num.* 2.
5 *Pro credito dotali corruunt fructus, vel percipiuntur ex pignore.*
6 *Pro eodem potest imponi census.*
7 *An & quando tempus censeatur adjectum gratia extinguendi, vel prorogandi obligationem.*
8 *Quod lapsus termini importet initium obligationis.*
9 *Pactum de retrovendendo præscribitur per* 30. *annos, secus ubi adsunt verba semper, & quandocumque.*
10 *An hæredes restituantur adversus lapsum* 30. *annorum.*
11 *De quæstione, quale pretium debeat attendi.*
12 *Quod debeat attendi tempus redemptionis, etiam ubi pretium est præfinitum.*
13 *Emptor cum pacto de retrovendendo interim est verus dominus.*
14 *Quomodo æstimentur bona data in dotem æstimata cum pacto, vel facultate restituendi eadem.*
15 *De materia redhibitoriæ.*
16 *Sequuta redemptione resolvuntur omnes hypothecæ, & alia vincula adjecta per possessorem.*
17 *De vera ratione conclusionis, de qua num.* 12.
18 *An jus redimendi possit alteri cedi, & an ipse emptor in hac cessione præferatur.*

DISC.

DISC. XXXII.

1 Cum hæres Octavii Costæ condemnatus esset per Rotam ad restituendum in pecunia dotem Mariæ Cataneæ uxori Benedicti filii ejusdem Octavii, etiam pro ea rata, quæ data fuerat in quibusdam juribus Hispaniarum, & quodam datio Medioloni, utpotè datis æstimatis, ut habetur hac eadem causa *sub tit. de dote disc.* 57. Cumque dicta jura data essent pro pretio librarum 25. mil. sub pacto, ut esset in facultate donantium illa redimere infrà quinquennium, quodque alias etiam inviti tenerentur, hinc dictus hæres judicium instituit contra dictæ Mariæ fratres donantes, ut ea redimere deberet pro eodem pretio, ut ita inanem redderet succumbentiam, quam in Rota passus erat, vel illa redundaret in damnum fratrum victricis, ideòque introducta causa coram A. C. eaque acerrimè disputata, resolutum fuit, Reos convenitos teneri redimere, sed pro pretio currenti de præsenti, quod idem fuit, ac reportare absolutoriam, cum serè illud nullum esset, unde actor hucusque acquievit.

In his autem disputationibus, ultrà punctum ordinis, seu competentiæ actionis in actore, qui non erat hæres directus, sed fideicommissarius, hærede directo adhuc vivente, super quo à me semper neglecto, ac etiam à judice; Alii pro hac parte Scribentes magnum constituebant fundamentum; Tres alii fuerunt puncti; Primò scilicèt, an istud pactum ex parte venditoris obligatorium ad redimendum valeret, necne; Secundò, an quatenus validum esset, expirasset per quinquennium inter partes præfinitum; Et tertiò, quatenùs non expirasset, quale pretium in redemptione attendi deberet (stante adeò notabili diminutione) an scilicèt illud contractus, vel illud redemptionis.

Alii pro hac parte reorum conventorum scribentes nimium insistebant in dicti pacti invaliditate, quasi quod pa-
2 ctum de retrovendendo, sit quidem validum, ac frequenter receptum, quando sit facultativum ex parte venditoris, coactivum verò tantum ex parte emptoris, non autem è converso, cum data venditoris coactione, potiùs redolere videatur pignus, sive illum contractum, qui dicitur ad gaudendum, aliàs antichresim cumulando in id ea, quæ pro ratione dubitandi deducta habentur apud Leotard. *de usur. q.* 68. & de antichresi habetur *sub tit de usur. disc.* 9.

Attamen mihi istud motivum non placebat, minusque
3 Judici placuit, & meritò, quoniam est quidem ista species pacti minus frequens, magisque suspecta, ut propterea facilius inter fœnoris præsumptio, atque minora desiderentur adminicula, quam in casu converso, in quo etiam ex pretii modicitate, aliisque adminiculis, quamvis non accedat requisitum, quod esset solitus fœnerari, idem fœnus quoque intrat, ex iis, quæ habentur *eod. tit de usuris*; ac etiam *sub tit. de Regal. ad materiam locorum montium disc.* 32. Non tamen ubi bona fides exuberet, seu circumstantiæ concurrant dictam suspicionem elidentes pactum etiam venditoris coactivum dicendum est improbum, seu fœnoris induc-
4 tivum, ut latè, ac benè probat Leotard. *d. q.* 68 cujus fundamenta Scribentes pro actore reassumebant, & advertitur in proposito antichresis *d. disc.* 9. *de usuris*.

In hac verò specie, ex facti qualitate, ac circumstantiis bona fides verè exuberabat, quamvis de contractu indifferenti ageretur, multò verò magis, ac absque principio dubitandi, dum agebatur de contractu dotali, à quo aberat omnis fœnoris suspicio, quodque ità palliatum fuisset pignus, ut ejus fructus pro credito merè pecuniario, ac sterili obti-
5 nerentur, dum erat ex causa dotis, cujus creditum etiam sine mora in recompensam onerum matrimonialium est fructiferum juxtà terminos textus *in cap. subtiliter de usuris*, ex plenè deductis in sua materia *sub tit. de Dote discurs.* 161. & pluries.

Undè propterea juxtà expressam declarationem ejusdem Pii V. ad ejus Constitutionem super forma creandi
6 census, receptum est pro credito dotali constitui posse censum consueta forma non servata, ut *eod. disc* 161. *de dote*, & in sua materia *sub tit. de censibus*, ideòque dum nulla fuberat prohibitio faciendi actum sincerè, ac publicè, & palam, nulla pariter cadere videbatur suspicio, seu necessitas machinandi hujusmodi simulationem, ac fraudem.

Quo verò ad alterum punctum: Quamvis hincindè ma-
7 gni adhibiti essent labores in quæstione tractata per Civilistas *in l. cum qui ita stipulatus, §. quia ita, ff. de ver. obl.* & per Canonistas *in cap. sicut de sponsalibus*, quos plenè reassumit Sanchez *de matrimonio lib.* 1. *disp.* 53. an scilicèt & quando tempus censeatur adjectum causa prorogandæ, vel potius terminandæ obligationis; Attamen ego advertebam id inanem continere laborem, quem frequenter Juristæ assumunt extra propositum ex defectu applicationis, cum ex facti serie dicta quæstio prorsus incongrua remaneret; Siquidem quinquennio durante, jus redimendi in dotantibus, qui venditorum personam gerebant, erat solum facultativum, non autem arctativum, taleque dicto quinquennio exprante reddebatur; undè propterea si terminus prædictus censendus esset adjectus gratia extinguendæ, seu terminandæ 8
obligationis, ad evidentiam resultaret quod pactum remaneret inane, ac nunquam operativum, nisi in eo præciso momento, quod utique dicendum non est, sed potius dicendum est quod lapsus quinquenii contentis dilationem aperiat obligationem ex tunc incipientem juxt. *text. in l. qui hoc anno, ff. de verb. obl. l. cedere diem, ff. de verb. signif. l. si mandato, §. Paulus respondit ff. mandati*, atque ità benè ratiocinatur Rota *dec.* 234. *nu.* 8. *& seq. part.* 5. *rec.*

Et sic istud jus redimendi indefinitè contractum juxtà 9
ejus regularem naturam, durat per annos triginta juxtà opinionem, quam sequitur Rota, & Curia ex deductis *sub tit. de servit. ad materiam contractus disc.* 87. ubi ex *dec.* 194. Celsi, & aliàs ibidem in ea causa editis, habetur sub quæstione adhuc remanere, an dicta tricennalis præscriptio intret, quando pactum munitum est cum clausula, *semper, & quandocumque*, super quo plura colligunt Fontanell. *decis.* 75. *& seq.* & Pratus *obser.* 36.

Sivè an hæredibus ex capite ignorantiæ competat resti- 10
tutio in integrum, ut *eodem disc.* 87. *de servit.* quæ tamen inspectio in præsenti non cadebat, cum terminus 30. annorum adhuc duraret, quamvis computandus esset ab initio contractus; Multò magis, & absque dubio, quia verè computatio facienda erat à die lapsus quinquennii, quando pactum initiabat, atque emptori acquirebatur actio ad cogendum, & non prius ex vulgari regula *textus in l. finali, C. de annali præscript.* ut non valenti agere non currat præscriptio; Ideòque licèt super his motivis ego quoque more Advocati inservientis causæ, plura deducerem, attamen reflectendo ad veritatem, ab initio non placuerunt, ut juxtà stylum Partibus insinuavi, justèque visum est rejecta esse.

Promovi autem ego tertium motivum, quod judex am- 11
plexus est, atque, reflectendo ad solam veritatem, solidum, ac probabile videbatur; ut scilicèt tenerentur quidem venditores ad formam pacti redimere, sed pro pretio currenti de præsenti; Licèt enim de stricto jure redempcio sequi debeat pro convento pretio, cum non levis quæstio inter Scri- 11
bentes de super cadat, quando de pacto redimendi simpliciter conventum est, nullo præfinito pretio; Aliis tunc volentibus attendi debere tempus contractus; Aliis verò tempus distractus, seu redemptionis, ut est probabilius, Attamen ubi expressè conventum est redemptionem fieri debere pro eodem statuto pretio, tunc omnes hinc inde certantes concordant ex regula vulgaris *textus in l. ille, ff. de legat.* 3. quod in claris, & expressis non intrant quæstiones.

Ex æquitate autem antiquioribus ignota, per moderniores autem judiciosè ponderata, magis communiter receptum est, tam in isto retractu conventionali, quàm etiam in legali, atque jure offerendi, quod secundo creditori com- 12
petat contra primum, sive debitori contra creditorem, ut tempus retractus, seu redemptionis attendi debeat, ideòque intermedium augmentum vel decrementum cedere debeat commodum vel damno ejus, qui possessor fuit, ut firmat Cagnol. *in l.* 2. *C. de pact. inter emptor. & venditor. num* 190. in secunda moderna lectura, ubi se retractat ab iis, quæ in prima lectura in contrarium motivaverat, ac sequuntur Cæphal. *consil.* 150. *num* 19. *& seq.* Sylvan. *consil.* 70. *nu.* 10. *& seq.* Menoch. *consil.* 26 *num.* 22. Fachin. *lib.* 2. *controv.* 6. *vers. tertia est sententia*, Thesaur. *decis.* 140. Morott. *de jure offerendi num.* 69. *& seq.* Rovit. *decis.* 24. *num.* 18. Merlin. *controv.* 93. *num.* 13. *& sequent. lib.* 1. ac habetur deductum plures *in dicto tit. de serv. ad materiam retractus*, præsertim *dicto discurs.* 87. *in fine*, & conferunt deducta per Marin. *resol.* 91. *num.* 11. *cum sequent. lib.* 1. Mantic. *decis.* 226. *num.* 4.

Duplicem id habet rationem, Primò scilicèt quod emptor cum pacto de retrovendendo, seu aliàs retractui subje- 13
ctus, interim dicitur verus, ac perfectus dominus ad omnes effectus, etiam juris retrahendi, ut apud Millin. *decis.* 210. *num.* 11. *& decis.* 446 Buratt. *decis.* 677. *num.* 1. Rovit. *pragm.* 1. *de jurib. & actionibus Fiscalibus num* 81. *cum seqq.* & consequenter ejus debet esse intermedium commodum, vel damnum, incrementi, vel decrementi etiam intrinseci, seu aliàs accidentalis tanquam sequela dominii.

Ista ratio, quam vis scribendo more Advocati esset deducta, & forsan amplexa non placebat, rectè siquidem in-
41 trat in alio supra insinuato casu, quando conventum est de obligatione, vel facultate redimendi simpliciter juxta ea, quæ *dicto tit. de dote disc.* 57. edito in hac eadem causa, & in aliis habentur de intermedio augmento, vel decremento bonorum, quæ in dotem data sunt æstimata cum vera æstimatione, sub pacto tamen, seu facultate restituendi eadem.

Ac etiam congruunt ea, quæ habentur apud Castrens.
15 *in l. Julianus nu.* 3. *ff. de action. empti*, & Azzon. *in summa Codicis de ædilitio edict. n.* 28. Specul. *lib.* 4. *de empt. & vendit. §. nunc dicendum est num.* 2. in proposito contractus resoluti per redhibitoriam, quia fingitur nunquam extitisse.

Ita à pari, cum hæc resolutio ab initio in isto etiam re-
16 tractu necessario intret, adeòut sequuta redemptione resolvantur omnes hypothecæ, omniaque vincula per intermedium possessorem adjecta, perindè ac si nunquam dominus, nec possessor extitisset, ut cæteris relatis, Franch. *decis.* 64. Surd. *dec.* 286. *nu.* 12. *& cons.* 409. *nu.* 36. Casanatt. *cons.* 7. *nu.* 8. *& cons.* 9. *nu.* 56. Amat. *var. resol.* 4. *nu.* 15. Rota *dec.* 86. *nu.* 5. *par.* 5. *rec.*

Solidior autem, ac verè magis recepta est altera ratio,
17 quod scilicèt aliàs resultaret claudicatio, per quam unus ex contrahentibus esset semper in lucro, absque metu damni, alter verò esset semper indamno absque spelucri; Cum enim hujusmodi pacta non sint æqualiter hinc inde obligatoria, sed ex parte unius obligatoria, ex parte vero alterius facultativa; Hinc proindè resultaret claudicatio redolens iniquitatem, ideòque non admittenda, quod scilicet ille, qui habet facultatem redimendi, vel respectivè cogendi ad redimendum, eatenus facultatem exerceret, quatenus videret ex beneficio temporis, vel alio accidenti rem incrementum accepisse; E converso autem alter contrahens in casu decrementi, non posset alterum cogere, & sic esset in damno absque spe lucri, ideòque licèt stricta juris censura ob dictam resolutionem ab initio aliter suadeat, attamen de æquitate contrarium, ut suprà receptum est.

In proposito autem pacti de retrovendendo, seu juris re-
18 dimendi, an possit alteri cedi, & an possessor, cum quo exercendum est, prætendere valeat prælationem, habetur actum *sub eod. tit. de servit. ad materiam retractus disc.* 88. ubi concluditur negativè.

ANNOT. AD DISC. XXXII.

AD materiam juris redimendi videri poterunt deducta *sub tit. de servit. disc.* 85. 87. *&* 88. Et quale pretium sit attendendum habetur *in hoc tit. de empt. disc.* 48. *&* 49.

ROMANA PECUNIARIA SEU ASSOCIATIONIS PRO CREDITORIBUS PATRIMONII MONALDENSIUM CUM MONTISTIS PROVINCIARUM, ET SIGISMUNDA ANCAJANA.

Casus disputatus in Congregatione Baronum, & variè resolutus.

De pacto commissorio inter emptorem; & venditorem, an valeat: & à quo exerceri possit altero invito, & quando illud ad exercitium deductum dicatur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Pactum commissorium est validum.*
3 *Pactum commissorium, seu resolutivum allegari potest per eum, cui adimplendum erat, non autem per non adimplentem.*
4 *Sed postquam pactum deductum est ad exercitium, non datur pœnitentia.*
5 *Quando quis censeatur usus dicto pacto.*
6 *In dubio censetur gestus actus, ut est utilius.*
7 *In casu pacti contraveniens non repetit id, quod solvit.*
8 *Altercatio pretii stabilium non præsumitur infrà decennium, vel potius augmentum.*
9 *De vinculo quod adjicitur pecuniæ, quæ solvitur Congregationem Baronum, & quod tale vinculum minuat de pretio.*
10 *Observantia est interpres etiam voluntatis.*
11 *Ex quibus actibus deducatur observantia.*
12 *De ratione claudicationis.*
13 *Nemo admittitur ad allegandum propriam culpam, vel delictum.*
14 *Quomodo etiam creditori competere valeat facultas exercendi pactum commissorium.*
15 *Personæ miserabiles non gaudent earum privilegiis in actibus Communitativis, & Universitatis*

DISC. XXXIII.

MOntistæ montis provinciarum, ac Virginia Petri- 1
gnana creditores Ussredutii Anchajani, de anno 1630. vendiderunt Nicolao Monaldensi tenutam Tenaliæ, aliaque bona pro pretio scutorum 30. mil. solvendo certis modis, & terminis inter eos conventis, sub pacto, ut in casu non implementi, licitum esset venditoribus redire ad primæva jura, ac si contractus initus non esset, sibi reservando dominium, ac etiam manuum iniectionem, seu possessionis adeptionem propria auctoritatem; Cumque ad breve tempus Nicolaus defecisset ære alieno pressus, unde propterea Congregatio Baronum, manus apposuit in ejus patrimonio juxtà ea, quæ habentur *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum disc.* 77. *cum pluribus seqq.* hinc venditores de anno 1639. obtinuerunt ab eadem Congregatione mandatum de associando ad possessionem dictorum bonorum, atque aliud non motivantes in adeò notorio, ac famoso concursu creditorum dicti patrimonii, ut patet ex deductis proximè suprà, in dictorum bonorum administratione, ac fructuum perceptione continuarunt usque ad annum 1665. in quo supponendo eorumdem bonorum valorem notabiliter diminutum esse, atque se præsupponendo creditores dicti patrimonii, plerique aliis anteriores, instabant procedi ad venditionem eorumdem bonorum, necnon cogi posteriores ad ipsis restituendum quidquid superesset debendum; Verum me pro creditoribus patrimonii scribente, prodiit resolutio eis favorabilis in repropositionem quoque confirmata, ex negligentia verò (quæ connaturalis est in iis, quæ pro communi possidentur) non fuit processum ad expeditionem sententiæ quod post aliquod intervallum ansam dedit auctoribus obtinendi novam audientiam, unde repropositа causa recessum fuit.

Primæ resolutiones mihi, ad veritatem etiam reflectenti, probabiliores visæ sunt; Siquidem ex instrumenti venditionis tenore clarè constabat de pacto commissorio, de cujus validitate in contractu emptionis, & venditionis ad favorem venditoris contra emptorem non adim- 2
plentem in jure non dubitatur, ad text. *in l.* 1. *&* 2. *& toto tit. ff. de lege commissoria cum concordan.* de quibus apud Leotard. *de usur. quæst.* 69. *& seqq.*

Hujusmodi enim pacti infectio cadit in contractu pignoris, seu ubi aliàs ratio fraudis usurarum cadat ex iis, quæ in materia pacti commissorii habentur in Tyburtina Castri S. Angeli *sub tit. de usur. disc.* 8. ac etiam in eadem causa *sub tit. de dote disc.* 126. & in plerisque decisionibus in ea causa editis, quarum aliquæ sunt impressæ *par.* 11. *rec. decis.* 330. *&* 371. & apud Censal. *in l. unic. C. si quis Imperat. maledix. fol.* 202.

Est benè verum, quod ubi tale pactum adjectum est in gratiam unius contrahentis, in odium alterius non adimplentis, eatenus suam habet operationem, quatenus eo 3
uti velit ille contrahens, ad cujus favorem adjectum est, eum in ejus arbitrio positum sit nolle uti, sed agere ad observantiam, neque de illo opponere potest altera pars, ne inducta ad favorem retorqueantur in odium, atque morosus, seu deficiens in non adimplendo commodum reportet ex ejus mora, & violata fide, ex collect. per Merlin. *de pignor. lib.* 5. *quæst.* 7. Rot. *decis.* 422. *num.* 4. *part.* 4. *recent.* apud Burat. *decis.* 110. *num.* 13. & sæpius, ac habetur in Romana annuæ præstationis *sub tit. de feudis disc.* 57.

Vbi autem venditor, in cujus gratiam adjecta sit, illud deducatur ad exercitium, atque perfectè subsequto effectu, declaret eo velle uti, tunc resultat actus resolutio, atque res vendita redit in dominium venditoris absque fa- 4
cultate pœnitendi, seu variandi, ut clarè disponit textus *in l.* 4. *§. eleganter*, Papinianus *ff. de lege commissor.* ubi communiter scribentes relati per Leotard. *d. q.* 69. ac in dictis decisionibus editis in Tiburtina Castrorum.

Non negabantur hæc per Scribentes in contrarium, sed dice-

dicebatur, quod dictum pactum non fuisset deductum ad exercitium, quodque neque per Montistas deduci potuisset, cum ipsi non essent domini, neque venditores, sed creditores, qui solum debitori vendendi consensum præstiterant; Ideoque duplex desuper cadebat quæstio, una voluntatis, & altera potestatis.

Quatenus igitur pertinet ad primam quæstionem voluntatis, videbatur illam evidenter probari ex pluribus, 5
quæ ubi etiam singulariter, ac distinctè considerata difficultatem pati possent, benè tamen probabant simul juncta cum regula, quæ in quæstionibus facti, ac voluntatis principaliter, ac perpetuò attendenda est, ut singula, quæ non prosunt, unita juvent.

Primò etenim in facto deducebatur probatio resultans ex quibusdam citationibus, ac aliis eorumdem Montistarum confessionibus, de quibus utpotè consistent bus in nudo facto ad causæ Patronum, pro stylo agere pertinebat.

Ego verò scribens pro Montistis, ponderabam quod aut
6 dicti actus erant univoci, dictam voluntatem pernecesse concludentes, & quæstio erat finita, ex sæpiùs insinuata regula text. *in l. ille, aut ille, ff. de legat. tertio*, latè exornata per Rota *dec.* 44. *n.* 14. *par.* 11. *rec.* quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta; Aut erant æquivoci, utpotè referibiles ad simplicem associationem jure creditoris, juxtà terminos text *in l.* 3. *C. de pignor.* ut prætendebatur per Scribentes in contrarium, adeòut intret interpretatio; Et tunc dicebam istam omnino capiendam esse pro resolutione contractus, ac usu pacti commissorii, ex regula, quod in dubio actus interpretandus est eo modo, quo magis expedit facienti, ad not. *in l. gerit, ff. de acquir. hæred. cum concordan.* per Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 100. *& seqq. & sub tit. de hæred.* occasione agendi quando per actus facti inducatur, necne aditio hæreditatis cum similibus.

Multipliciter autem Montistis, aliisque creditoribus dictorum de Anchajanis expediebat, contractum resolvi, dictumque pactum ad exercitium deduci; Primò scilicèt, quod ita fiebat lucrum de scutis quatuor mille ab emptore solutis, ab eo non repetendis, ut clarè disponit text. *in dict.*
7 *leg.* 4. *§. sed quod ait, ff. eodem tit. de leg. commissor.* Secundo, quod infrà decennium præsumptio est, ut valor stabilium non censeatur immutatus, ut apud Cell. *dec.* 178. *num.* 8. & sæpiùs; Atque si quæ immutatio cadere poterat, illa erat potius in augmentum, quoniam ut docet notoria praxis totius Europæ, præsertim verò Italiæ, & in ista magis illa Status Ecclesiastici, præsertim in locis Urbi adjacentibus, rerum pretia in diescreverunt, ut etiam advertitur *sub tit. de Regalib. disc.* 117. & alibi.

Tertiò, quia cum totum istud patrimonium jam positum
8 esset sub concursu creditorum, ac administratione Congregationis Baronum, non expediebat dictis Montistis, aliisque creditoribus, ut hæc bona cum dicto patrimonio
9 confusa remanerent; Tum ob magna incommoda in concurrendo cum tanta copia creditorum anteriorum, ac privilegiatorum; Tum clariùs, quia ut pluries habetur *sub tit. de feud. ad materiam hujus Bullæ Baronum*, non liberatur pecunia creditoribus, nisi vinculata, cum cautione scilicèt evictionis, ac de restituendo prioribus, & potioribus, & quando cautio idonea non habetur, cum necessitate investiendi in loca mont. um cum hoc vinculo, quod notabiliter minuit de pretio, ex deductis *sub tit. de Regal. ad materiam locorum Montium disc.* 30. *& seqq. & sub tit. de cambiis disc.* 1. *&* 2. *& sub tit. de credito*, ideòque expediebat sperare bona jure dominii, ac resolutionis contractus, ut ita essent ad eorum liberam dispositionem, ac distrationem.

Ponderabam quoque subsequutam diuturnam observan-
10 tiam, quæ in omnibus ambiguis quæstionibus est optima interpres, atque dicitur interpretationum Regina, ut in specie interpretationis voluntas, latè Rota *decis.* 199. & 256. *utrobique nu.* 12. *par.* 10. *recent. decis.* 323. *nu.* 13. *part.* 11. *& frequenter.*

Observantia verò deducebatur ex pluribus actibus factis, id redolentibus, inter quos (cum alii essent æquivoci, atque cum titulo creditoris compatibiles) ponderabam in specie, quod quando Congregatio Baronum apposuit sequestrum, atque ad formam Bullæ accepit administrationem hujus patrimonii, id egit etiam in his bonis, tanquam dicti patrimonii membris, dictumque patrimonium nunquam scindere volunt, ac vendere per partes, rejectis enixis instantiis desuper factis, & tamen neglexit
11 vendere, ac administrare hæc bona, signum clarum dismembrationis; Accedente etiam inverisimilitudine; quod in adeò celebri, & clamoroso concursu, ut docent plu-

ries deducta *d. tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum disc.* 77. *cum seqq.* isti Montistæ nunquam comparuerunt.

In idem quoque conferre dicebam æquitatiuum motivum claudicationis, de quo *disc. præced.* quod scilicèt, si bona crevissent in valore, utique cum eadem habentur 12
jam pro abscissis à reliquo patrimonio emptoris, cum tam diuturna observantia, neque creditores patrimonii ad ea cogitarent, minusque Congregatio se ingereret, ita eorum fuisset lucrum ex regula, *secundum naturam*, &c. Potissimè, quia supponebatur non deesse aliquam culpam in hac intermedia administratione, ex qua pretii notabilem diminutionem emanasse dicebatur.

Quoverò ad alteram inspectionem super defectu potestatis; Dicebant Scribentes pro Montistis, quod venditoris personam verè, ac propriè gesserat hæres debitoris, qui erat dominus, ipsi verò tanquam creditores præstitissent solum assensum, quodque eorum respectu reservatio regressus ad primævum statum intelligenda veniret jure creditorum, & prout competebat, & consequenter, quod ipsi neque volentes potuissent ad exercitium deducere hoc pactum commissorium.

Verum id non videbatur probabile fundamentum, quoniam in jure de isto defectu potestatis objici solet per ter- 13
tium, non autem per ipsummet facientem non admittendum ad allegandum proprium delictum, propriamque turpitudinem, ut exindè commodum reportet, ex collectis per Barb. *axiom.* 221. *nu.* 1. *cum vulgar.*

Advertebam prætereà, quod cum emptor contextualiter emisset ab hærede debitoris, ipsis Montistis consen- 14
tientibus ac unitim de dicto pactum commissorio sibi consulentibus, omnes ita in ordine ad emptorem constituebant unam personam venditoris, quidquid esset quoad eos inter seipsos, & consequenter, quod dictus hæres dominus, ac venditor, ita consensum præstiterit Montistis, quod dictum pactum ejus nomine exercere possent tanquam ejus mandatarii, ex implicito mandato, quod etiam à jure creditor habere dicitur à debitore, cujus jura exercere potest, ad text. *in l. si pignus, ff. famil. ercisc. cum concordan.* per Gratian. *discept.* 503. *num.* 5. Capyc. Latr. *consult.* 16. *num.* 14. Rovit. *decis.* 29. *num.* 4. Olea *de cess. jur. tit.* 4. *quæst.* 3. *num.* 25. *& seqq.* & habetur pluries in sua materia *sub tit. de credito, & alibi.* Ideòque stant benè simul, quod Montistæ remanent creditores; neque iste titulus alteraretur, & tamen, quod istud pactum exercere potuerint.

Dicebatur demum, quod ubi major pars Montistarum ex dictis actibus potuisset sibi præjudicare, attamen id obesse non poterat pluribus pupillis, minoribus, mulieribus, & piis locis loca istius montis possidentibus, cum isti prohibiti sint contrahere, vel sibi præjudicare absque solemnitate, & causa; verum istud erat omnium levius motivum, quoniam ut receptum habemus ad materiam text. *in l. unic. Cod. quando Imperator inter pupill. & vid. tit. de jurisdictione*, cum similibus, istæ personæ sunt privi- 15
legiatæ in actibus, quos gerunt jure singulari, non autem jure communitativo, & tanquam membra alicujus Universitatis, cum ita habeant defensores, atque cesset ratio prohibitionis.

ANNOT. AD DISC. XXXIII.

DE pacto commissorio videantur deducta *sub tit. de usur. disc.* 8. *& tit. de Dote disc.* 126.

ROMANA AQUÆ PRO CARDINALI DE MAXIMIS CUM MONASTERIO S. TERESIÆ AD QUATUOR FONTES.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Visitationis, & resolutus cum temperamento, ut infra.

An & quid in contractum emptionis, & venditionis deductum censeatur; Et in specie, an emens domum cum hortis, & aquis, si domum denuò vendat, aliquam verò partem retineat, quænam pars aquarum ad novum emptorem, vel respectivè ad secundum venditorem pertineat: Et quid si secundus venditor in ejus arbitrio id reponat.

SUMMARIUM.

1 Facti serie s.
2 *De invalida venditione collata in voluntatem unius ex contrahentibus.*
3 *In Domino possidente unum corpus in confuso non datur distinctio membrorum.*
4 *Quando res dicatur membrum, & de pertinentiis alicujus prædii.*
5 *Quod in hoc destinatio patris familias totum faciat.*
6 *Quando, & ad quid procedant conclusiones, de quibus num.4.& 5.*
7 *Et quando intret quæstio, de qua num.2.*
8 *De vitio forensium circa extranea.*
9 *De eadem conclusione, de qua nu. 2.*
10 *In casibus, in quibus substineatur contractus, voluntas resolvitur in arbitrium.*
11 *Remissio facta alterius gratiis, & voluntati quomodo sit intelligenda.*
12 *De distinctione inter voluntatem, & arbitrium, quando intret.*
13 *In actibus correspectivis non attenditur voluntas unius.*
14 *Declaratio fieri debet per informatum.*
15 *Qui declarat non disponit, ideòque donatoris declarationi defertur.*
16 *Ad materiam declarationis fiduciarii.*
17 *De divisione aquarum communium, & aliarum rerum communium.*
18 *Quomodo ista materia debeat regulari.*
19 *Non debet quis pati penuriâ aquæ, ut eam aliis præbeat.*
20 *Exitus causæ.*

DISC. XXXIV.

1 INdigentibus Monialibus S. Therefiæ ad quatuor Fontes aliqua parte viridarii, vel horti, & aquarum spectantium ad adjacens palatium illorum de Matthæis, istisque hanc dismembrationem denegantibus, totum palatium emerunt, deindeque, sibi appropriata quadam parte dicti viridarii, vel horti, idem palatium cum omnibus ejus officinis, membris, fontibus, aquis, hortis, & aliis pertinentiis vendiderunt Cardinalis de Maximis tunc Cameræ Apostolicæ Clerico, & Patriarchæ Hierosolymitano pro pretio, de quo *sub tit. de usur. disc.* 26. sub eo pacto præsertim, ut in venditione comprehensæ censerentur aquæ, juxtà tamen declarationem ab ipsis Monialibus per separatam scripturam faciendam, cui emptor stare promisit; Cumque dictæ Moniales ex antiquis aquis palatio, & viridario, seu horto adjacenti destinatis, notabiliorem partem pro se ipsis retinere vellent, modicam verò emptori dari, hinc orta controversia, eaque delata ad Sac. Congregationem Visitationis Apostolicæ, ac assumpta disputatione.

Scribentes pro Monialibus nimium se diffundebant super juris articulo, an valeat, necnè contractus, vel conventio collata in arbitrium, seu voluntatem unius ex contrahentibus, atque reassumendo plenè deducta per Rot. apud Merlin. *decis.* 557. *repetit. decis.* 172. *par.* 6. *rec.* & apud Gratian. *discept.* 572. probare conabantur, quod, vel ratione juramenti, vel ex altera æquitatis, vel quia res non esset amplius integra, actus valere deberet.

2 E converso autem Scribentes pro emptore, nimium insistebant in facto, ac probationibus per plures testes inductos super quantitate aquæ per illos de Matthæis assignatæ parti viridarii, seu horti dismembrati, atque inclusi in clausura Monasterii, & quæ applicata ipsi palatio, ejusque officinis, ac viridario, & horto sub venditione comprehensis; Atque super fide testium desuper inductorum adhibenda, ob exceptiones tam in persona, quàm in dicto datæ magnæ fuerunt disputationes.

Mihi pro emptore Scribenti, extranea hæc videbantur à casu; Quatenus enim pertinet ad ea, quæ ex hac eadem parte deducebantur; Ponderabam hujusmodi inspectionem non intrare, quando unus, & idem est omnium dominus, in confuso possidens, tam palatium, quæ omnia viridaria, & hortos, tanquam unum, & idem, cum tunc aquæ non recipiant hanc distinctionem, quia dominus utitur magis eis in una parte, quam in altera pro ejus placito, & prout temporum, vel alterius contingentiæ ratio exigit; Quamvis enim etiam in eodem possessore, seu patrefamilias detur destinatio circa unam, vel alteram rem, adeòut ea, quæ uni prædio destinata sunt, quamvis cum notabili distantia materialiter separata, sub illius prædii nomine veniant, tam in actibus inter vivos, quam in ultimis voluntatibus, utpotè de illius pertinentiis ad Text. *in l. quod in rerum, §. Si quis post, ff. de legat.* 1. *l. cum fundus, ff. de legat.* 2. *l. prædiis, §. Titio sejana, ff. de leg.* 3. Odd. *cons.* 21. Galeot. *lib.* 1. *controv.* 22. *cum concord. in Bonon. liquidationis pretii* 4. *Junii* 1664. 4. *Maii* 1665. & 23. *Januarii* 1666. *coram Emerix*, de qua habetur *sub tit. de legat.* super puncto, an, & quid sub legato prædii rustici, vel urbani veniat, cum in hoc totum faciat destinatio patrisfamilias, ut etiam advertitur *in Romana prælationis sub tit. de servit. ad materiam retractus disc.* 74.

Attamen id rectè procedit ad effectum distinguendi unum prædium ab altero, & in concursu plurium rerum diversarum constituentium diversa corpora, seu diversa ejusdem universitatis, vel patrimonii membra; Secus autem ubi agitur de uno eodemque membro, vel prædio, in quo hæc distinctio non datur, Siquidem, ut communis usus docet, habens palatium cum adjacentibus viridariis, vel hortis, hyberno, vel alio magis humido tempore utitur aquis ad palatii ornatum magis, quam ad usum, ac ornatum hortorum, secus autem tempore æstivo, seu in hortis delitiarum, vel quando in hortis exteri permaneant ad delectationem, ita unum, ac alterum respectivè fontem magis ditando, vel depauperando, ut occasio exigit, ideòque dicta formalis distinctio, seu fixa, & perpetua destinatio aquarum magis uni, quam alteri officinæ, vel membro ejusdem prædii, non de facili verificabilis est in eodem possidente omnia in confuso tanquam unum, & idem corpus.

Prout inanis videbatur labor adhibitus in dicta quæstione juris super validitate pacti, vel contractus collati in unius ex contrahentibus voluntatem; Ista enim quæstionem examinare oportuisset, quando unus ex contrahentibus noluisset amplius stare contractui, utpotè imperfecto, seu valido aliosque effectus ex invaliditate, vel imperfectione resultantes deduceret, in quibus terminis loquitur *dicta decisio* Merlin. *cum ibi congestis*, sed ubi partes concordant in validitate, ac perfectione, & observantia contractus, atque sola quæstio est super interpretatione, seu modo illum observandi, non videtur, ad quid chartas inanibus quæstionibus, ac allegationibus replere; Quod tamen frequens est forensium vitium, in hujusmodi superfluis evagationibus ad causam non facientibus, solitum Juristarum improbum laborem adhibere.

Et nihilominus advertebam, quod ubi procedendum esset cum iis, quæ in dicta questione habentur, huic Parti magis assisterent, quoniam, ut præsertim patet ex allegata *dec.* 367. Merlin. aliàs *dec.* 172. *p.* 6. *rec.* & ex altera edita in eadem causa coram eodem Merlino *dec.* 605. *repetit. etiam dec.* 258 *eadem p.* 6. Ubi etiam ratione æquitatis, vel ex altera juramenti, sive rei non integræ, contractus substineretur, id procedit, quia lex interpretatur, ut alterius contrahentis voluntas resolvatur in arbitrium à jure regulandum, & tanquam illi boni viri, adeòut si malè adhibeatur, intret illud judicis, pro ejus suppletione, vel reformatione, juxtà magistralem traditionem Innocentii, & Hostiensis *in capitulo veniens de renunciat.* Abb. *in capitulo sanè eodem tit. & in capitulo nè innitaris de constitut.* ubi etiam Butr. ac alii, de quibus apud Gizzar. *dec.* 57. *nu.* 3. & 4. occasione agendi de se remittente gratiæ, ac voluntati Domini, vel superioris, quod intelligitur de voluntate sonante in arbitrium à jure regulandum, & tanquam boni viri.

Distinctio etenim, de qua apud Cavaler. *dec.* 374. & sæpius *sub tit. de fideicomm.* præsertim *in Romana hæreditatis de Jordanis disc.* 62. ac etiam *sub alt ero de testament.* inter arbitrium, & liberam voluntatem, percutit ea, quæ pendent à sola dispositione, seu voluntate unius, adeòut alter contendat de se solo lucro ex disponentis voluntate reportando, secus autem in actibus onerosis, & correspectivis, in quibus non spectatur voluntas unius, sed illa utriusque ex iis, quæ habentur deducta *in Romana augmenti dotis sub tit. de dote disc.* 27. *& in decisionibus in ea causa editis* 9. *Junii* 1659. & 19. *Aprilis* 1660. *coram Bevilaqua.*

Clarius verò, ac extra omne dubium in hac facti specie, quia pactum conceptum non erat, ut in libito, & voluntate Monialium esset qualem aquam dare vellent, & qualem non idque rationabiliter, quia cum ipsæ fuissent Dominæ totius aquæ, ac forsan eam quoque confundissent cum propria, & antiqua Monasterii, hinc ad easdem, utpotè informatas, pertinebat rem ita effectam obscuram, declarare.

Declaratio autem non continet aliquam novam dispositionem, minusque tribuit voluntatem, quinimò neque arbitrium, sed solum aperturam ejus, quod jam inest, nobis tamen ignotum est, juxtà optimum exemplum traditum per Text. *in l. adeò versic. cum enim grana, ff. de acquir. rer. domin.* in illo, qui excutit grana à spicis, quoniam granum non perficit, sed jam existens solùm aperit removendo paleæ velamen; Ideòque prodiit propositio, quod qui declarat non supponit, neque aliquid de novo facit, sed quid jam factum sit, vel existat aperit, & consequenter etiam in donationibus, aliisque perfectis contractibus pœnitentiam excludentibus, quamvis donator, vel alter contrahens revocare non possit, seu aliàs contractum alterare, benè tamen potest illum declarare dummodò sit declaratio verisimilis ex deductis apud Otthobon. *decis.* 219. *num.* 7. & 8. *decis.* 195. *nu.* 18. *decis.* 77. & 90. *post collustat.* Bonden. & sæpiùs ferè in omnibus materiis, præsertim verò in ejus propria *sub tit. de donation.*

Et satis ad rem, de declaratione facienda per fiduciarium ex præcepto testatoris juxta terminos Text. *in l. Theopompus ff. de dote prælegat. & l. quem hæredi, ff. de condit. & demonst. cum concord.* faciunt ea, quæ habentur *in Perusina erectionis Canonicatus dicto tit. de fideicomm. disc.* 182. ideòque dicebam non esse in facultate Monialium pro earum placito quantitatem atque declarare tanquam per speciem novæ dispositionis, sed id faciendum esse tanquam in recognitionem præexistentis veritatis.

Item ponderabam in hoc proposito dici posse, ut eo medio tempore, quo Monasterium fuit dominus, & possessor dicti palatii, ejusque hortorum, & aquarum, inducta fuerit quædam species societatis, seu communionis inter hortos, & aquas, tam dicti palatii, quam Monasterii, ad cujus communionis dissolutionem posteà per istum secundum contractum deventum esset, ideòque intrarent ea, quæ in his specialibus terminis aquarum, quæ pluribus prædiis, vel personis communes essent, ut quando ad divisionem devenitur, illa fieri debeat proportionabiliter, & pro rata indigentiæ, ipsorumque prædiorum qualitate, ut benè in terminis advertit Costa *in eius tractatu de ratione, seu portion. ratæ q.* 3. *per tot.* & sic quod antiquarum aquarum illorum de Matthæis proportionata divisio fieret habita ratione illius ratæ horti remansæ Monialibus, quod importabat quid modicum, ad quod conferunt ea, quæ habentur *sub tit. de servit. disc.* 32.

Verum reflectendo ad veritatem, credebam in ista quæstione, utpotè facti, & voluntatis potiùs, quam juris, procedendum esse cum sæpius insinuata propositione attendendi magis substantiam verisimilis intentionis, quam vagas, ac generales juris regulas, & propositiones; Ex recensita enim acti serie constat, Moniales solicitas fuisse pro magno pretio, absque aliqua necessitate, vel prudentis æconomiæ motivo, emere hoc palatium cum omnibus annexis, ex sola ratione obtinendi hortorum, & aquarum partem, quæ earum Monasterio ejusque officinis, atque clausuræ ampliationi necessaria, vel oportuna esset, ut deindè provilæ, quod supererat, venderent; Et consequenter, quod spectata hujus veritatis substantia, inspici deberet, quænam aquæ quantitas, inspecta potius commoda, & morali, quam præcisa necessitate, sufficeret pro Monasterii usibus, ac officinis, & tunc pro Monasterio potius respondendum esset, quoniam, ut advertitur *sub tit. de servit. ad materiam aquar. disc.* 29. per Text. *in l. Præses Cod. de servitut.* incongruum est, ut quis proprios agros relinquere debeat sitientes, ut alienis agris abundans potius tribuatur; Secus autem in alia quantitate exuberanti, cum tunc esset species æmulationis, ac instar eorum, quæ habemus ad materiam Text. *in l. altius Cod. de servit. & aqua;* Cumque ingenuè id insinuassem uni ex dictis dictæ Congregationis doctissimo, ac judicioso Cardinali, qui causæ Ponens, seu relator erat, ita cum prudenti temperamento, prævia relatione Præsidum judicatum fuit, adeòut judicato hæc Pars acquievisset, quamvis in aliquo præjudicata, cum etiam attenta dicta regula, major aquæ quantitas illi de congruo debita videretur; Verùm adhuc viget controversia super liquidatione, ac modo dividendi, cum non de facili mulieres acquiescere soleant.

ANNOT. AD DISC. XXXIV. & XXXV.

AD materiam aquarum videri poterunt deducta *sub tit. de servit. disc. & seqq. in eod. tit. disc.* 93. Et signanter conferunt deducta *disc.* 32. *d. tit. de servit.* Quo verò ad punctum comprehensionis bonorum sub contractu venditionis & quale jus venditum censeatur; Consulant deducta *sub tit. de legat. disc.* 7. *& seq. & in eod. tit. disc.* 61. occasione agendi an, & quid sub legato prædii, vel domus veniat.

ROMANA DOMUS PRO VECCIS CUM COMITIBUS.

Casus disputatus coram A. C.

Possidens directum dominium rei stabilis cum jure percipiendi ab Emphyteuta, vel conductore annuum censum, seu responsionem; Si simpliciter vendat censum, seu responsionem, an vendidisse censeatur etiam ipsum directum dominium pro casu devolutionis, ac ad alios effectus.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 *Exceptio in parte non debet impedire id, quod non cadit sub lite, vel sub exceptione.*
3 *Vendens simpliciter rem, censetur vendere jus, vel portionem, quam habet.*
4 *Vendito, vel cesso censu, non censetur venditum dominium directum.*
5 *Ex pretii quantitate colligitur, quid in contractum deductum sit.*
6 *Canones, vel census reservativi plus valent, quam consignativi.*
7 *Quando venditis, vel donatis fructibus censeatur vendita ipsa res.*

DISC. XXXV.

1 BLasius de Comitibus, possidens ex deliberatione annuum censum refereativum, seu responsionem super domo possessa per Antonium jure locationis, vel alterius concessionis ad tertiam generationem, De anno 1620. dictam responsionem pretio scutorum 200. vendidit Olimpiæ, factoque casu devolutionis domus per mortem dicti Antonii de tertia generatione, dictus Blasius, seu ejus filii, & hæredes possessionem domus adepti sunt, dicti autem Dominicus, & Paulus dictæ Olimpiæ hæredes prætendentes sibi domum debitam esse, possessionem quoque adepti fuerunt, sed in possesorio retinendæ succubuerunt in Tribunali A.C. per manutentionem dictis Comitibus concessam, unde reassumpta causa in negotio principali, semel scripsi pro dictis Dominico, & Paulo, neque amplius de causa actum audivi, minusque informationes alterius Partis vidi, undè propterea judicium desuper efformare non potui, credo autem, quod dicti auctores, pro quibus scribebam, auditis meis difficultatibus, contenti exactione responsionis, acquieverint.

Dicebam igitur, quod cum utriusque partis pretensio esset invicem compatibilis, quod scilicet actores prætendebant totam domum ad se spectare in vim dictæ emptionis factæ de directo dominio secum trahente, nedum censum, seu responsionem, sed etiam ipsum dominium, ac effectum devolutionis; E converso autem Rei, & possessores dicerent venditum esse solum dictum annuum censum, vel redditum, non autem dominium, utique ipsi pendente hac lite negare non poterant solutionem dicti redditus, cum id sit compatibile cum prætensione actorum.

Quando siquidem contentio est inter duos, quorum unus prætendat sibi deberi plus, alter verò dicat deberi minus, tunc pendente dicta controversia, retardanda non est præstatio ejus, quod est minus, ac extra controversiam, cum in rebus dividuis, major prætensio illiquida retardare non debeat solutionem minoris debiti liquidi, & non controversi, ut apud Franc. *decis.* 372. *per tot.* cum aliis de more collectis per Giurb. *decis.* 30. *nu.* 32. & *seqq.* & benè in proximis terminis controversiæ inter prætendentem concessionem esse emphyteuticam & possessorem prætendentem esse censualem, quod hujusmodi litis pendentia impedire non debet solutionem ipsius responsionis, super cujus natura, & qualitate solum est controversia, firmatur apud Dunozett. *decis.* 849. *n.* 9. & 10. edita in causa, in qua ego quoque scribebam, & sic quod lite pendente, locus esse deberet provisioni super dictæ responsionis solutione sine præjudicio, ut credo sequutum esse.

Quatenus verò pertinet ad punctum principalem, Dicebam, scribens tanquam Advocatus, regulam esse, ut qui rem vendit, seu jus, quod in re habeat, censeatur vendidisse totum id, quod habebat, idest totũ, si totum suum est, vel eam parte,

parte, quæ ad se pertinebat, disponendo eo modo, & titulo, quod disponere poterat ad Text. *in l. qui tabernas, ff. de contrah. empt. & cap. pastoralis de donat.* utrobique scribentes, de quibus apud Cenc. de Cens. *quæst.* 20. Gregor. *decis.* 225. *nu.* 2. & 3. Rot. *in Romana apothecæ, seu pecuniaria* 8. *Junii* 1655. & 25. *Junii* 1655. *coram Bichio, quarum secunda est dec.* 66. *par.* 12. *rec.* & *in eadem* 7. *Februar.* 1656. *cor. Bevilaqua*, & in aliis frequenter.

Quamvis autem, cum his, ac similibus generalitatibus informationem desuper editam, more inservientis causæ, exornare curarem, ponderando etiam inverisimilitudinem, quod scilicèt si venditor noluisset se spoliare dominio, non processisset per viam venditionis, sed potius per viam impositionis census consignativi, si ve reservasset jus domini, ejusque effectuum, restringendo venditionem ad solum jus exigendi hanc præstationem; Attamen etiam non visis juribus alterius Partis, adhuc dubitabam (ut requirentibus ingenuè more insinuavi;) Tum regula, quæ ex magis communi, & recepta opinione est in contrarium ut scilicèt venditio simpliciter censu, vel canone debito ex aliqua re, non censeatur venditum ipsius rei directum dominium pro effectibus devolutionis, & laudemii, ac aliis exindè resultantibus, sed solum jus exigendi census, ut cæteris relatis habetur apud Ann. & Add. *singul.* 306. Guid. Pap. & Add. *decis.* 264. Cenc. de cens. *q.* 72. *n.* 24. & *seq.* Duard. *eod. tract. in princ. q.* 26. *n.* 74. apud quos concordantes.

Tum fortius ex quantitate pretii, quod ut advertitur in supra allegatis decisionibus coram Bichio, & Bevilaqua, & apud Gregor. *dec.* 126. passim, est maximum argumentum voluntatis Partium, & quid in contractum deductum sit; Cum etenim de tempore hujus venditoris curreret tertia generatio, undè propterea imminens, vel proxima erat spes devolutionis domus notabilis valoris, ipsaque responsio sola, & de per se esset talis quantitatis, quod dictum pretium scutorum 200. ei congrueret, cum valor hujusmodi censuum reservativorum, seu canonum, ac similium responsionum juxtà communem usum (præscindendo etiam à directo dominio, ac aliis effectibus ab eo resultantibus) sit longè major, quàm ille censuum consignativorum, ratione potioritatis, ac majoris securitatis, ut notorius communis usus, ac valor probat, hinc proindè mihi videbatur quod facilius dicta regula intraret, potissimè quia quædam alia adminicula quoque concurrebant in facto.

Quando autem venditis vel donatis fructibus rei censeatur vendita ipsa res, vel quid in contractum deductum sit, latè & benè agit Anna *allegat.* 104. & habetur *sub tit. de feud. in Sabinen. status Montis Libretti disc.* 65.

URBEVETANA ONERUM PRO MARCHIONE MARABOTTINO CUM MONALDO MONALDENSE DE CERVARIA.

Responsum pro veritate.

An, & quæ onera pertineant ad emptorem, quamvis res libera vendita esset, adeòut pro eis non competat actio evictionis, seu quanti minoris, vel è contra.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Redecima non debetur nisi adsit consuetudo.*
3 *De decima temporali redolente præstationem ratione dominii.*
4 *Ob onera detecta in re vendita intrat actio quanti minoris.*
5 *Decimæ spirituales sunt onus intrinsecum, pro quo non præstatur evictio, vel actio quanti minoris.*
6 *Idemque de oneribus cameralibus, seu collectis, & tributis, aliisque de natura rei, &c.*

DISC. XXXVI.

1 FACta venditione per Monialium Marabotino de quibusdam domibus, cum assertione, ac promissione eorum libertatis ab omni onere, præterquam à quadam specifica responsione; Cum Parochus loci prætenderet quandam decimam frumenti, & vini sibi debitam esse, hinc ex parte emptoris consultus fui de duobus; Primò scilicèt super dicti Parochi prætensione, & an dicta decima ei debita esset; Et secundo, quatenus deberetur, an haberet actionem evictionis, vel quanti minoris contra venditorem, qui rem liberam asseruit ac promisit.

Quoad primum, quoad materiam decimarum potius percutit, cum ex parte requirentis supponeretur in hac diœcesi de consuetudine integram decimam solvi per colonos, dixi regulam esse contra Parochum, ut non debeatur redecima ex deductis apud Buratt. & Adden. *dec.* 575. *decis.* 673. *part.* 1. *rec. decis.* 548. *part.* 5. & in aliis, de quibus sub materia *sub tit. de decim.* Sed quoniam etiam id limitatur ex contraria consuetudine, idcircò dixi responsum desuper maturum tradi non posse absque magis distincta facti notitia.

Quo verò ad alterum punctum inter emptorem, & venditorem, Dixi determinationem pendere à natura, seu qualitate dictæ decimæ per Parochum prætensæ, si enim esset decima temporalis debita ratione dominii, & tanquam species livelli, seu responsionis juxtà eam speciem, de qua apud Capyc. *decis.* 20. Franch. *decis.* 117. & 124. Rovit. *decis.* 97. cum aliis in sua materia *sub tit. de decimis*, Et tunc planum erat competere actionem quanti minoris ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Surdum *dec.* 165. Greg. *dec. s.* 119. *num.* 3. *decis.* 337. *num.* 6. & *seq. par.* 5. *recent.* cum aliis per Adden. *ad decis.* 10. *par.* 3. *rec.* Secus autem ubi esset decima spiritualis prædialis Parocho de jure debita, quoniam tunc dicitur onus intrinsecum, & connaturale, quod de jure subintelligitur, utpotè debitum per dominum, & possessorem pro tempore, ideòque pro eo non intrat, actio evictionis, seu quanti minoris, quamvis res per venditorem ab onere libera, & exempta asserta, & promissa esset, ut benè cæteris relatis habetur apud Annam *alleg.* 48. aliisque allegatis advertitur *in Sabin. status Montis libretti sub tit. de feud. disc.* 65. atque docet praxis onerum cameralium, & collectarum, quoniam pro eis venditor non præstat evictionem, neque tenetur ad quanti minoris; Decimæ autem spirituales, & onera laicalia in hoc fraternizant, quoniam, ut pluries advertitur *sub tit. de Regalibus*, tributa, & collectæ, aliaque onera laicalia dicuntur decima, quæ solvitur Principi ad instar decimæ, quæ solvitur Deo.

ANNOT. AD DISC. XXXVI. & seqq.

AGitur in his discursibus de materia evictionis seu actione quanti minoris ob detecta onera in re vendita, de qua actum est *supra disc.* 9. & 10. 16. & *seqq.* & habetur etiam *sub tit. de Regal. disc.* 164.

Et de hac eadem causa quoad concernentia materiam decimarum agitur in sua sede *sub tit. de decimis disc.* 16.

FIRMANA PRO MORELLETTIS.

Responsus pro veritate.

An venditor liceat rem evictam ab evincente recuperare, illamque emptori restituere; Atque ita evictionis actionem, vel regressum emptoris ad primæva jura evitare.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Purgatio moræ non datur adversus pactum resolutivum.*
3 *An venditor possit recuperare rem evictam, illamque emptori restituere, atque ita evitare actionem evictionis.*
4 *De distinctione, cum qua deciditur quæstio.*

DISC. XXXVII.

CUm in satisfactione antiquorum jurium, quæ Cæcilia habebat contra N. hic aliqua bona in solutum ei dedisset sub expresso pacto recessus ad primæva jura casu evictionis, atque defuncto venditore, seu illo, qui in solutum dederat, aliquo ære alieno presso, adeòut ejus hæreditas sub curatore ad commodum creditorum jaceret, Rector cujusdam Ecclesiæ, ex capite devolutionis, seu alio jure dicta bona in parte evicisset à dicta Cæcilia, qua ad ejus primæva jura regrediente, notabile resultabat creditoribus præjudicium, Hinc ex parte illorum de Morellettis, qui dictæ hæreditatis creditores erant, pro veritate consultus fui, an eis integrum esset bona prædicta à Rectore recuperare, dictæque Cæciliæ restituere.

Difficultatem præbente cõclusione de qua cęteris relatis

2 apud Gratian. *discept.* 708. Gregor. & Addent. *dec.* 559. Buratt. & Adden. *dec.* 896. quod scilicèt illa moræ purgatio, quæ de æquitate canonica passim admittenda est, in plurium sensu, etiam de jure civili non deneganda ex deductis apud Capyc. Latr. & Adden. *decis.* 30. & pluries *sub tit. de emphyt.* non intret adversus pactum resolutivum, cum solum intret adversus pœnam, non autem adversus conventionem.

Respondi, quod quidquid sit ista conclusione in termi-
3 nis emphyteuticis, super quibus actum habetur in dicta sua materia; Quatenus tamen pertinet ad istos speciales, ac præcisos terminos, an scilicet venditore rem evictam recuperante, illamque emptori offerente, ad evitandam evictionis actionem, vel regressum ad primæva jura, teneatur emptor recipere, si ejus magis intersit evictionem præstari, vel regressuri locum esse, decisio pendet à distinctione, an evictio valdè, ac perfectè sequuta sit, necnè; Si enim sequuta esset impropriè, puta ratione hypothecæ in Salviano, vel alio remedio, tunc rectè recuperatio, ac restitutio intrat; Secus autem, ubi per viam veræ, ac formalis evictionis ratione dominii, cum subsequuta executione, quoniam tunc esset potius nova acquisitio, quam recuperatio juxtà *decis. Bonon.* 27. Anna *alleg.* 174. Franch. *decis.* 145. ubi modern. de Luca in Addit. *num.* 2. Mangil. de evict. *quæst.* 183. de Marin. ad Revert. *decis.* 582. *nu.* 2.

Ideòque concludebam, determinationem pendere à circumstantiis facti, an scilicèt edicta evictio propriè, ac
4 validè, & perfectè sequuta sit, vel potius invalidè, seu impropriè, adeòut recuperatio non importet novam acquisitionem, sed potius repositionem in statu pristino, vel è conversa, ut primo casu emptor teneatur recipere, non autem secundo.

RAVENNATEN. FRUCTUUM PRO VINCENTIO PRONTO CUM PETRO SECCIO.

Casus disputatus coram Prælato Judice Commissario in Signatura, & resolutus pro Petro.

An, & quando secundus emptor evictionis actionem habeat contra primum venditorem; Ac etiam, an in evictione veniant fructus, vel interesse ad favorem ejus, qui non est venditor, sed est assignatarius, seu cessionarius pretii.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De doctrina Bart. in l. si pro re ff. de evict.*
3 *An emptor agat de evictione, si non ab eo, sed ab altero, cui ipse tradidit, res evincitur.*
4 *An secundus emptor agat de evictione contra primum venditorem.*
5 *De stylo Curiæ scribendi strictè ad punctum, & non evagandi.*
6 *Fructus recompensativi non debentur ei, qui non fuit rei Dominus, nec venditor.*
7 *An iidem petantur tanquam damna, & interesse evictionis.*
8 *Emptor tenetur solvere pretium non obstantibus molestiis, si offertur cautio evictionis.*

DISC. XXXVIII.

PRomptus vendidit prædium Ravennæ, qui deindè illud vendidit Becci patri, qui permutando idem prædium cum domo cum Guattario, cum recompensa scuto-
1 rum 400. in quibus pretium prædii domum superabat, dictam summam cessit, seù assignavit Petro filio in satisfactionem dotium uxoris, ac Nurus respectivè; Quia verò dictus Guattarius aliquas molestias à Prompti primi venditoris creditoribus recepit, hinc dictum pretium, cedente die, deposuit, dictoque deposito per aliquod tempus otioso permanente, Petrus cessionarius, ob retardatam solutionem à Prompto primo venditore petebat fructus recompensativos, seu interusuria, ejusque intentionem fundatam esse dicebant Scribentes pro acto-
2 re in doctrina Bart. *in l. si prove*, §. *Si pro evictione*, *ff. de eviction.* cum concordan. per Mangill. *de evict. quæst.* 161.

Ideòque ex parte Prompti Rei conventi requisitus fui, ut huic objecto præcisè satisfacerem.

Mihi videbantur istius doctrinæ termini extranei à casu præsentis controversiæ; Duplex enim à Bartolo ad materiam dicti Text. *in l. si pro re* proponitur quæstio, atque cum Bartolo reliqui pertransiunt; Una scilicèt, ubi res, quam ego emi non evincitur à me, sed ab altero, cui ego vendidi, an scilicèt regressum habeam con-
3 trà primum venditorem, qui mihi vendidit, priusquam ego pulsatus fuerim, & condemnatus ad evictionem erga eum, qui à me causam habuit, & deciditur negativè, quatenus secunda venditio pura esset, ac simplex denotare, nihil pro me retinendo, secus autem si partim vendiderim, vel concesserim, & partim retinuerim, puta (ut Bartolus exemplificat) quod vendiderim, vel concesserim dominium utile, ac retinuerim directum, quoniam rectè agere possum ad evictionem juris mihi reservati, & competentis, sed ista quæstio prorsus extranea erat à casu.

Altera vero quæstio est, an secundus emptor cui res
4 evicta fuit, directam, ac immediatam actionem habeat contra primum venditorem, & de ista quæstione agitur per Rotam *disc.* 589 *part.* 1. *decis.* 422. *part.* 2. & latius *decis.* 398. *part.* 3. *rec.* Mangil. *de evict. dict. quæst.* 161. cum aliis per Oleam de cession. jur. *tit.* 4. *quæst.* 7. *num.* 3. *cum seqq.* apud quos plures adhibentur distinctiones, an scilicèt concurrat cessio jurium, sive stipulatio etiam pro quibuscumque successoribus, aut obligatio cameralis, quæ continet in ventre stipulationem *pro omnibus*, *quorum interest*; Verùm istam quoque dicebam quæstionem omninò extraneam à casu; Ideòque inhærendo nimium commendabili stylo Curiæ, per aliquos tamen modernos pragmaticos parum judiciosè, cum improbo labore, corrumpi solito, 5
non evagandi in superfluis quæstionibus, sed insistendi super solo puncto præciso controversiæ, contentus relatione tractantium de materia, neglexi dictarum quæstionum examen assumere, dum dictus Petrus, neque dominus, neque venditor unquam fuit.

Punctus igitur præcisus quæstionis erat, an ob retardatam pretii solutionem, fructus, vel interusuria prætendi
6 possent; Et in hoc sine dubio negativè respondendum videbatur; quoniam, Aut petebantur ex æquitate Text. *in l. curabit*, *C. de action. empt.* & isti termini intrare non poterant, Tum quia actor nunquam fuit dominus, nec venditor, sed tertius purus creditor pecuniarius, ut in specie Millin. *decis.* 378. *num.* 3. *repetit. decis.* 109. post Gilian. ad statut. *num.* 2. & *decis.* 129. *num.* 92. & 93. *part.* 12. *recent.* & habetur à simili in fructibus dotalibus *sub tit. de dote disc.* 123. & 161. & Rot. *decis.* 258. *num.* 3. *par.* 10. *recent.* Tum etiam quia reus conventus non possederat rem, cujus fructus percepisset, & quorum respectu intrat ratio, seu æquitas dicti Textus, ut pluries ad illius materiam *sub tit. de usur.* ubi est sua sedes.

Aut verò prætendebantur in judicio evictionis tanquam damna, & interesse, & pariter non intrabant, dum res nunquam exiit à manibus emptoris, ut advertitur in eodem *sub tit. de usur.* & habetur *in Tudertina census* 10. *Martii* 1664. *Taya*, & insinuatur *hoc tit. in Romana Salviani disc.* 10. ac etiam quia rectè dici poterat ipsi creditori imputandum esse, cur passus esset pecuniam deponi, undè sequuta fuit illius otiositas, quoniam ubi etiam intrassent termini Textus *in l. post perfectam*, *C. de evictionibus*, aliud à possessore prætendi non poterat nisi cautio, qua mediante emptor solutionem negare non potest, ex deductis per Surd. *cons.* 36. *nu.* 15. & *seq.* & *dec.* 183. & 295. Caval. *decis.* 602. *nu.* 1. & in aliis; Igitur debebat, vel præstare cautionem, vel interpellare venditorem, quod illam præstaret, ac molestias in se assumeret.

ANNOT. AD DISC. XXXVIII. & seqq.

CIrca ea quæ in his discursibus concernunt materiam fructuum recompensativorum videri poterunt deducta *sub tit. de usur. disc.* 15. *cum seqq.* & *in eod. tit. disc.* 42. & *hoc eod. tit. de Emptione, & vend. disc.* 47. ubi an augmentum pretii, quod conveniatur sub certa conditione redolente majorem emptoris securitatem, habeat naturam veri pretii ad effectum fructuum recompensativorum.

ROMANA
PRO LAURA CUSIDA DE MAXIMIS CUM JULIO PETRONIO.

Casus disputatus coram Prælato judice Commissario, credo, concordatus.

An & quando emptor, qui in se accollavit pro pretio debita fructifera venditoris, teneatur ad fructus debitorum ultra id, quod ipsius rei fructus importent.

SUMMARIUM.

1 FACTI series.
2 *De fructibus recompensativis per emptorem, ut debeantur ad mensuram fructuum ipsius rei.*
3 *Intellige quoad venditorem pro pretio.*
4 *Secus quoad creditores accollatos, quibus ratione censuum majores fructus debentur.*
5 *Pretium transfusum in aliam causam debendi non consideratur amplius uti pretium.*
6 *Evictio non importat resolutionem actus ab initio.*
7 *Emptor subjectus retractui interim est verus dominus.*
8 *Debitum causativum, vel occasionale cessat, cessante causa.*
9 *Non autem pro tempore præterito, quo fuit possessor.*
10 *Transactio exigit litem, sine qua non datur.*
11 *De læsione in transactione.*

DISC. XXXIX.

1 PLures habitæ fuerunt controversiæ inter Lauram, & Julium, principaliter autem, at potissimè super impugnatione transactionis inter eos initæ, quam Laura impugnare prætendebat ex defectu solemnitatum, quæ in contractibus mulierum ex statuto Urbis 151. desiderantur, ac etiam ex defectu causæ ob liberationem præsertim Julii à debito fructuum censuum accollatorum pro pretio rei emptæ; Cum enim Julius, vel ejus actor, facta emptione aliquorum bonorum, in partem pretii in se accollasset aliquos census, quibus venditor premebatur, atque post aliquorum annorum decursum, eadem bona evicta essent, hinc orta est controversia, an pro eo medio tempore, in quo emptor pacificè possedit bona, eorumque fructus percepit, teneatur ad fructus censuum accollatorum, quamvis excederent fructus ab ipsis bonis perceptos, vel potiùs ad dictos fructus tantum teneri deberet.

In hoc autem puncto; Scribentes pro emptore dicebant, quod cum ob subsequutam evictionem, contractus resolutus esset, ita dicit debebat non emptor ab initio, & consequenter, quod considerandus tanquam simplex possessor,
2 ad aliud teneri non deberet, nisi ad restituendum præceptum, nè aliàs locupletetur cum aliena jactura juxtà generales terminos Textus *in l. curabit C. de action. empt.* de quibus frequēter *sub tit. de usur.* ubi agitur de hujusmodi fructibus recōpsativis debitis ex æquitate, vel dispositione dicti Textus *in l. curabit*, ita in his generalitatibus immorand.

Scribens ego pro Laura, quæ non venditrix, sed creditrix pro fructibus censuum erat, Advertebam, quod aliud
3 est agere de controversia inter ipsos emptorem, & venditorem, Aliud verò inter emptorem, & creditores censuum accollatorum.

Primo enim casu, cum venditor agat solùm de usuris, vel fructibus pretii, aliud prætendere non potest nisi quantum important ipsius rei fructus, quos aliàs percepisset, cū alias esset percipere fructus ex pecunia, ut pluries habetur *d. tit. de usur.* præsertim *in Baren. census disc.* 17. atque venditor plus prætendendo, repelli etiam posset ab emptore per exceptionem refectionis quorumcumque damnorum, & interesse venientium sub evictione, & consequenter admittebam, ut tali casu probabilis esset emptoris prætensio.

Secus autem in altero, in quo contentio sit cum creditori-
4 bus accollatis; Cum enim accollatio vim habeat veræ, ac effectivæ solutionis unius debiti, ac respectivè creationis novi debiti cum tertio contracti, quoniam fingitur accollantem solvisse venditori pretium rei venditæ, ac deindè eandem summam recepisse à creditore accollato, perindè ac si cum ipso directè contraxisset, ut cæteris relatis habetur apud Cenc. de cens. *q.* 73. *nu.* 16. Rota apud Merlin. *decis.* 543. *num.* 1. *decis.* 135. *num.* 23. *par.* 6. *rec. Anconitana census* 3. *Junii* 1658. *Verospio.*

Hinc proindè nihil refert, an res empta sit fructifera, necne, sive majores, vel minores fructus produxerit, quo- 5
niam si pretium fingitur solutum, illudque in diversum contractum transfusum, desinit esse tale, diversamque assumit naturam, ac diversos producit effectus; Adeòut si agatur de pretio rei fructiferæ, quod ex conventione convertatur in contractum cambii, pro quo ex defectu transmissionis litterarum nulli fructus debeantur, sive quia ob nundinarum eventualitatem nulla adsit excrescentia, quinimò diminutio sortis, ut est contingibile, atque istum contractum salvat ab usura, ut pluries in sua materia *sub tit. de cambiis*, non poterit venditor prætendere fructus pretii, neque ad ratam fructuum, quos verè emptor interim percepisset juxtà dictos terminos Textus *in l. curabit*, quoniam debitum nō remanet amplius in terminis pretii, ita implicitè soluti, sed in terminis alterius diversi contractus, ut ex Soccin. jun. & aliis Surd. *cons.* 169. *n.* 18. Tastai. *allegat.* 16. Leotard. de usur. *q.* 27. *nu. fin.* ac ita è converso, ut advertitur apud eumdem Leotard. *q.* 27. *n.* 61. Gratian. *discept.* 524. *nu.* 8.

Neque alicujus momenti videbatur subsequuta evictio, 6
quoniam nullibi jure cautum est, istam importare omnimodam contractus resolutionem ab initio, perindè, ac si gestus non esset, cum vi retroractiva, quoniam interim Emptor fuit verus, ac perfectus dominus, ac possessor, ut habemus in fortioribus terminis emptoris subjecti retractui legali, seu conventionali, nam interim, donec retractus sequatur, est verus, ac perfectus dominus, & possessor juxtà deducta apud Mil. in. *dec.* 446. *cum concordan. supra hoc eodem tit. disc.* 7
32. & pluries *sub tit. de servit. ad mater. res. tract.* ac propterea sequuto casu evictionis in ordine ad venditorem ad ipsam obligatum, emptor indemnis à quocumque interesse remanere debet ex natura evictionis, non autem quod desierit esse talis medio tempore quoad tertios, quorum respectu solvitur solùm ipsius emptoris obligatio utpotè occasionalis, vel causativa, tanquam ex cessante causa, juxtà regulam Text. *in c. cum cessante*, de qua Tiraq. *ibidem n.* 221. *& seqq.* Dec. *cons.* 421. Amat. *qui plures de more colligit resol.* 21. *n.* 1. Rota *dec.* 428. *nu.* 4. *p.* 1. *rec. Bonon. censuum* 9. *Febr.* 1654. *coram Meltio cum concordan.* de quibus supra *in Sutrina hoc eodem tit. discurs.* 23. ubi solum expeditur quæstio, de qua in 8
sensu Cujac. & aliorum agit Merlin. *lib.* 1. *controv.* 91. an scilicet emptor non obstante, quod evictionem passus sit, seu aliàs possessor esse desierit, adhuc tamen salvis ejus juribus contra venditorem continuet in vim delegationis esse debitor creditoris accollati pro tempore etiam futuro, ut idem Merlin. nervosè substinet; Quod tamen asperum videtur, ut advertitur *in dicta Sutrina*; sed pro tempore decurso ante evictionem, ut creditoribus teneatur, neque illum relevet dicta circumstantia debiti causativi, sive occasionalis, 9
nemo dubitat cum hoc medio tempore non intret dicta regula *cum cessante*, ut pro absoluto supponitur in proximè allegatis decisionibus cum concord. per Amat. *dicta resol.* 21. *nu.* 5. *cum seqq.* & habetur pluries deductum *sub tit. de Regalibus ad mater. officiorum disc.* 8. *cum seqq.*

Hæc deducebam tanquam Advocatus causæ inserviendo, atque reflectendo etiam ad veritatem, credebam illa probabilitatem habere, quando res effectivè integra, quod scilicèt creditor nunc ex integro istud debitum ab emptore petere; Habebam tamen difficultatem ob intermediam transactionem non de facili ex præmissis rescindendum; Licèt enim transactio non detur in re clara, sed pernecesse exigat litem, seu litis probabile dubium, ac timorem, ad vulgarem 10
Text. *in l.* 1. *de transact.* attamen ut pluries advertitur *sub tit. de fideicommiss.* præsertim *disc.* 173. ac etiam *sub tit. de emphyt. disc.* 52. *& sub tit. de feud. disc.* 49. ac alibi, in eo articulo, an, & quando transactio afficiat successores, ex persona propria venientes, independenter à transigente, Aliud est agere cum dicto tertio veniente jure suo, ut supra, ad quem effectum requiritur magna dubietas, ex qua resultat bona fides, Aliud verò inter ipsos transigentes pro substinendo actu, & nè dicatur initus super re clara, ad hunc enim effectum sufficit talis qualis dubietas resultans, etiam ex opinione unius doctoris ex ibi deductis.

Prout licèt juxtà opinionem, in qua residet Rota, & Curia Romana, etiam in contractu transactionis admittetur 11
læsio juxtà terminos Text. *in l.* 2. *C. de rescinden. vendit.* attamen, quia læsio non regulatur ab intrinseco, ac naturali pretio ejus, quod est in controversia, sed à dubio litis eventu, hinc proindè nimium difficile est, hujusmodi lesionem justificare, atque transactionem ex isto capite rescindere, ut avertit supra *hoc eod. tit. in Romana transactionis disc.* 27. idque ab initio apud me inferebat difficultatem, quam puto apud judicem quoque militasse, ignotus tamen est eventus.

TAU-

TAURINEN. PECUNIARIA, PRO JOANNE BAPTISTA MORETTO CUM CAMERA.

Responsum pro veritate.

An emptor hæreditatis, vel spolii, qui accollavit in se omnia debita, quorum aliqua deduxit ad speciem, teneatur reficere venditori id, quod importent debita ad speciem deducta, quæ detegatur esse indebita; Vel potius ad ipsius empotoris commodum cedat.

SUMMARIUM.

1 FACTI series.
2 *Si emptor in partem pretii in se accollat debita, quæ detegatur non deberi, debent solvi venditori.*
3 *De quæstione super præcepto testatoris, ut solvantur debita, & de quibus intelligatur.*
4 *Conclusio de qua n.* 2. *non intrat, ubi agitur de emptione hæreditatis, quoniam id cedit commodo emptoris.*
5 *De eadem conclusione, de qua num.* 3. *& an præceptum, ut solvatur aliquod debitum, illud revalidet.*

DISC. XL.

1 EMens Joannes Baptista à ministris Cameralibus, seu Nuntiaturæ Taurini, spolium clerici defuncti, possessoris Beneficii, seu Abbatiæ, in qua ipse successerat, assumpsit in se onus solvendi omnia debita, præsertim verò illud pensionum decursarum, quæ ad speciem deductæ fuerunt, una præsertim debita Abbati Boschetto, qui ab eodem Tribunali Nunciaturæ mandatum executivum pro certis terminis obtinuerat; Cumque postmodum, prosequuta causa in negotio principali, per tres conformes declaratum esset, dictam pensionem non sunstineri, ac propterea, etiam exactum restituendum esse, multò minus exigi posse id, quod remanebat solvendum; Hinc proindè ministri Camerales, seu Nuntiaturæ, prætensionem excitarunt contra dictum emptorem, seu transactarium spolii, pro solutione ejus, quod dicti termini importarent; Quare ex ejus parte desuper consultus.

Respondi, quod ubi ageretur de emptione, & venditione certæ rei, quæ suum intrinsecum pretium haberet inter partes conventum, in cujus satisfactionem emptor in se
2 accollasset debita, ad quæ venditor erroneè teneri credebat, tunc detecto errore, omninò verius est emptorem teneri solvere venditori id, quod creditori solvere debuisset quando præsuppositum non fuisset erroneum, cum alias esset locupletari de alieno; atque invito domino pretii partem obtinere sine causa.

Quæstio etenim, de qua agit Rota *dec.* 62. 81. *&* 119. *p.* 7. *rec. decis.* 88. *par.* 10. *& dec.* 98. *par.* 11. *rec.* an scilicèt præceptum, vel respectivè obligatio de solvendis debitis, intel-
3 ligatur de iis, quæ utramque naturalem, ac civilem obligationem habeant, quia nempè sint vera, & valida, Vel etiam de illis, quæ naturalem habeant, non autem civilem, quia nempe de facto sint vera, sed de jure illegitima, percutit diversos effectus vel terminos, ubi scilicèt agatur de hærede, vel altero, in quo non data comprehensione, remaneant bona ab eo onere libera ex legis, vel hominis judicio.

Verùm in hac facti specie, dixi pro emptore probabilius respondendum esse, quoniam non agebatur de emptione
4 certæ rei, sed hæreditatis, & sic juris universalis, sub se continentis incertum aleam lucri, ac damni, ob tam activas, quàm passivas actiones in emptorem transeuntes; Ut enim advertitur supra *disc.* 26. & in aliis, emptor vel cessionarius hæreditatis fingitur directus, ac immediatus hæres defuncti, perindè ac si ipse ab initio in hæreditate successisset, & consequenter hęc alea detecti debiti minus validi, cedit commodo hæreditatis ejusque emptoris, vel cessionarii, eo modo, quo ad venditoris commodum cedere debuisset, si venditio facta non esset; sive si aliud debitum esset detectum, ut pro eo regressus contra venditorem non habeatur; Expressio autem aliquorum debitorum continet potius id, quod de jure inest, quam novam dispositionem.

Supponebatur, quod dictus pensionarius, qui succubuerat,
5 prætenderet, quod cum Nunciaturæ officiales in specie emptori hæreditatis injunxissent onus solvendi istud debitum, ita illud canonizatum fuisset, se fundando in supra allegatis decisionibus cum concordantibus ibidem deductis super puncto, an per dispositionem, vel præceptum de solvendis debitis, efficacia, & exigibilia efficiantur illa debita, quæ alias de jure inexigiblia essent; Verum hæc erat prorsùs improbabilis prætensio, nulli penitus fundamento innixa, quoniam attenta etiam opinione volentium, ut hujusmodi præcepta, vel dispositiones talem effectum operentur, id percutit casum, in quo intret ratio exonerationis conscientiæ disponentis, qui naturaliter obligatum se agnoscat, sive constito de voluntate, id resolvatur in legatum.

Id autem in præsenti applicari non poterat, dum agebatur de ministris Cameræ id exprimentibus cum præsupposito debiti, & quatenus illud subsisteret, & nè alias contra ipsam Cameram regressus dari posset, absque eo quod in eis dicta ratio exonerationis conscientiæ cadere posset, minusque altera, donandi seu remittendi ob defectum potestatis, cum liberam dispositionem bonorum, vel jurium Camera non haberent.

ROMANA PECUNIARIA, PRO FRATRIBUS DE ASTE CUM MONASTERIO SS. DOMINICI, & SIXTI.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro illis de Aste.

De emente ab hærede beneficiato, an & quando reddatur tutus à molestiis creditorum hæreditariorum, ad terminos Textus *in l. fin. Cod. de jur. deliberan.*

SUMMARIUM.

1 FACTI series.
2 *Emens ab hærede beneficiato est tutus.*
3 *De istius regulæ limitatione remissivè.*
4 *Quid in casu subfidii, ubi alias creditoribus non est consultum, & n.* 12.
5 *Et quid ubi inventarium sit minus solemniter confectum.*
6 *Inventarium quoad creditores non citatus habetur pro non confecto.*
7 *Contrarium, quod etiam legitimè confecto inventario intret dicta regula.*
8 *Decisiones in quibus attendi debeant.*
9 *Omissio descriptionis aliquorum, an irritet inventarium.*
10 *Distinguitur conclusio, de qua n.* 5. *&* 7.
11 *Hæres solvens creditoribus, non reportata cautione, malè solvit.*
12 *De eadem conclusione, de qua n.* 4.

DIS. XLI.

AD Casale, quod pretio scut. 80. mil. & ultra, Clementia hæres beneficiata Cardinalis Cecchini, pro dissol- 1
vendo ære alieno hæreditario vendidit Francisco de Aste genero, juxta seriem insinuatam *sub tit. de Dote disc.* 42. *& sub tit. de credito disc.* 53. judicium Salviani, vel associationis pro quodam censu imposito per antiquum ejusdem Casalis possessorem instituit coram A. C. Monasterium SS. Dominici, & Sixti, contra ejusdem Francisci jam defuncti filios, & hæredes, ex quorum parte, ultra motivum fideicommissi insinuatū *dict. disc.* 42. *sub tit. de Dote*, cujus vigore adversus alios molestantes sententia absolutoria ibi reportata fuit; Aliud in ista causa deducebam motivum, scribendo pro reis conventis, deductum ex clara dispositione
Text. *in l. fin. §. Et si præfatam, C. de jur. deliber.* ut scilicèt 2
emens bona hæreditaria ab hærede beneficiato pro dissolvendo ere alieno hereditario, tutus reddatur à creditorum, ac legatorum molestiis, reservato ipsis creditoribus jure agendi ad pretium sive adversus creditores, quibus pretium solutum est, & firmant ibidem communiter scribentes, ac in specie advertitur apud Franch. *dec.* 272. & 531. Rota apud Carill. *dec.* 180. 227. & 267. quarum prima est repetita *decis.* 85. *par.* 9. *rec.* ubi concordantes, & habetur etiam apud Ganaverr. *decis.* 8.

Istudque motivum in hac facti specie, ex ejus qualitate, & circumstantiis, intrabat de plano, cum non caderent illæ limitationes, seu difficultates, quæ desuper cadere solent, præsertim ubi ageretur de inventario minus solemni, in cujus confectione citati non essent creditores emptorem turbantes; Sive ubi emptor solicitus non fuisset, 3
ut pretium creditoribus solveretur; Aut quod creditoribus dimissis existentibus non solvendo, consultum non remaneret

neret anterioribus, qui contra emptorem agerent, ex iis quæ habentur apud Franch. & Add. *loc.cit.* ac alios de materia agentes, & *d. disc.*53. *de credito*, dum in hac facti specie inventarium erat bene, & solemniter confectum in specie citato isto creditore, atque venditio ad formam ejusdem textus expresse facta erat tanquam per hæredem beneficiatum, Neque difficultas cadebat super versione, dum pretium in monte pietatis depositatum de mandato judicis ser. ser. creditoribus hæreditariis solutum fuit.

Minusque cadebat altera questio subsidii, quatenus dimissi creditores essent non solvendo, dum, tam heres, quàm emptor soliciti fuerunt, ut idem pretium caute solveretur eo modo, quo advertitur apud Franch. *d. decis.*272. *in fine*, cum idonea scilicet cautione de restituendo prioribus, & potioribus, & de contribuendo cum æqualibus super cautione præstanda, qua per creditores nimium impugnata, acriter disputatum fuit in eodem Tribunal A.C. sed obtentum, ut habetur actum *sub tit. de credito d. disc.*53.

Hinc propterea defuit occasio assumendi disputationem super dictis punctis, vel quæstionibus ex quibus prætendi solet regulam deductam ex d. Textu *in l. fi. §. Et si præfatam* cessare debere.

In illa verò limitatione, de qua cæteris relatis apud Franch. *d. decis.*272. *in prin.* ubi scilicet ageretur de inventario, quod respectu ipsorum creditorum agentium, minus solemne dicendum sit, quia scilicet in ejus confectione citati non fuerint, unde propterea eis objici non valeat, quod sibi imputent propriam negligentiam, & cur debito tempore non comparuerint, ut de pretio eis satisfieret; Occasione plurium causarum quas in eodem Tribunali A.C. & in aliis frequenter in hac materia disputavi, etiam cum sensu veritatis, affirmare consuevi, quod omninò verior esset opinio, de qua apud Franch *dicta dec.*272. ut creditoribus integrum esset ad bona sibi hypothecata agere, non obstante beneficio per dictum Textum inducto, quoniam illud præsupponit venditionem factam esse per hæredem beneficiatum, qualis non dicitur respectu illorum creditorum, qui in confectione inventarii citati non fuerint, quamvis quoad citatos inventarium legitimum, ac perfectum esset, Bart. *cons.*158. *n.*8. *cum concord.* apud Burart. & Add. *dec.*750. Greg. & Add. *dec.*22. & 473. *dec.*201. *part.*11. *rec.* & sæpius; Igitur deficit legis præsuppositum, quo concurrente, urget contra eos dicta probabilis ratio, ut sibi imputare debeant propriam negligentiam, quæ bonæ fidei emptori, vel hæredi bona fide solventi primò venientibus præjudicare non debet.

Et quamvis in contrarium deducerentur firmata per Rot. *in dicta dec.*180. Carilli *repetit. dec.*85. *part.*9. *rec. circa finem*, ubi in specie ponderatur, quod minus legitima confectio inventarii in hoc præjudicare non debet, dictumq; beneficium non tollit, dictaque decisio, juxta Curiæ morem, magnam faceret impressionem, ac inferret difficultatem; Attamen advertebam in eo casu obiret insinuatum fuisse præter necessitatem causæ, quæ ad alia motiva restringebatur, ut patet ex duabus aliis posterioribus decisionibus in eadem causa editis coram eodem Carillo *d.*226. & 227. Unde intrare dicebam assumptum, quod in foro habemus quotidianum pluris ab antiqua, & moderna Rota firmatum, ut decisionibus deferri debeat in iis, de quibus principaliter disputatum fuit, non autem quæ obiter enunciantur; Eadem siquidem decisio ad evidentiam probat, obiter, ac immaturè id deductum fuisse, cum procedatur simpliciter cum conclusione late firmata per eamdem Rot. *dec.*181. *part.*6. *rec.* ut scilicet defectivum inventarium ob aliqua bona in eo non descripta cessare non faciat ejus beneficium, neque exinde hæres non beneficiatus dicendus veniat, quamvis omissio dolosa esset, cum tunc ex magis benigna sententia quam Rota sequitur, intret solùm actio ad duplum, non autem amissio beneficii, ut in sua materia *sub tit. de hærede*, ac *sub altero de credito*.

Verùm id nihil ad rem facere videtur, quoniam, Aliud est agere, an ob inventarii imperfectionem resultantem ab omissione descriptionis aliquorum bonorum resultet ejus omnimoda nullitas, ac beneficii privatio; Aliud verò, ut quoad creditores non citatos, inventarium quamvis generaliter, & in reliquis validũ, ac operativum, hanc operationem facere nõ debeat; Tum quia ut supra stant bene simul, inventarium quoad alios citatos esse validum ac legitimum, & tamen quoad non citatos haberi pro infecto, perindè ac si nullatenus confectum esset, ideòque cessare dicitur præsuppositum legis hoc privilegium inducentis; tum etiam quia cessat negligentiæ ratio fundamentalis, ob quam hujusmodi præjudicium creditoribus generatur, qua ratione cessante, præfati Textus dispositio omninò iniqua, & irrationabilis remaneret, cum ita de facili fraudibus, & collusionibus lata via aperiri posset in supplantationem creditorum anteriorum, cum posterioribus vel legatariis parum idoneis, cum quibus inanis remaneret actio repetitionis, quæ per eamdem legem conceditur, ita anteriores absentes vel ignaros supplantando, contra omnem juris scripti, & naturalis rationem, ac æquitatem.

Huic propterea, ut *eodem titulo de credito*, ac sub altero *de hærede* pluries habetur, receptum est, ut hæres, quamvis beneficiatus, solvens creditoribus absque idonea cautione restituendi anterioribus, male solvat, atque inventarii beneficio non obstante, ad reiteratam solutionem teneatur, quoties plusquam bona fides eum non excuset, ex magna hereditatis opulentia, cusus creditores insperatò detecti sint.

Quando autem istud quoque remedium creditoribus non suffragetur, quia scilicet neque hæres sit idoneus, tunc in subsidium contra emptorem ad bona hypothecata concedendus videtur regressus, cum juxta communem contrahendi usum, aliqua culpa, & malæ fidei, seu collusionis suspicione non vacet emptor, qui de hujusmodi adeò communiter usitata cautela solicitus non fuit; Ac etiam quia dicta præpotens ratio fraudis, & collusionis prævalere debet litterali sensui legis, quæ rebus non autem verbis imposita dicitur, ideòque principaliter attendi debet ratio, cui innixa est, seu finis ob quem prodiit; Culpa etenim vacare non dicitur ille, qui negligit adhibere illas diligentias, quæ communiter adhibentur, ideòque istius legis beneficium rectè operativum remanere videtur super necessitate creditoribus incumbente excutiendi prius ad ejusdem legis sensum dimissos creditores, vel legatarios, ac etiam ipsum hæredem liberè, & incutè solventem; Sed ubi istæ diligentiæ adhibitæ non prosunt, tunc nulla juris, vel æquitatis ratio suppetit, ut creditores omninò elusi remanere debeant, cum in pari causa damni, potius illud sentire debeat emptor, cui rectè imputari potest propria negligentia, & cur non adhibuerit illas cautelas, quæ ex communi usu negligi non solent, dum, ut dictum est, id non levem præsefert collusionis, malæque fidei suspicionem.

ANNOTAT. AD DISC. XLI.

De securitate ementis ab hærede beneficiato habetur quoque *sub tit. de Cred. disc.*53. Et conferunt deducta *sub tit. de feud. disc.*73. de Emptore tuto ab hypothecis, & vinculis quando venditio sit facta per Congregationẽ Baronum; De iis autem quæ concernunt materiam inventarii defectivi, & quando hæres solvens creditoribus, liberetur, habetur *sub tit. de hæred. disc.*14. 20. & *seqq.* & 25.

JANUEN. FRUMENTI SUPPRESSIS NOMINIBUS.

Responsum pro veritate.

An & quando emens merces, vel alia bona à segerente pro Domino, vel administratore, sit tutus à Domino, merces, vel bona vindicare volente, seu ab aliis jus in eis habentibus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Solvens ei, cum quo contraxit benè solvit.*
3 *Solvens etiam procuratori, cum quo contraxit benè solvit.*
4 *Quid de extinctione census facta cum procuratore, cum quo census est impositus.*
5 *In concursu æquali potior est conditio solventis.*
6 *Emens à correspondali benè emit, & tutus est.*
7 *An emens merces à non Domino sit tutus.*
8 *Qui ubi fiat emptio in portu, vel publico emporio.*
9 *Procurator, vel administrator potest recipere solutionem veram, non autem fictam.*
10 *De differentia inter foventem causam onerosam, & lucrativam.*

DISC. XLII.

1 Augustinus negotiator in Hispania, commisit Bernardo commoranti in Insula Siciliæ, ut cum pecuniis habendis ab ejus correspondali Urbis, emeret in ejus causam salmas mille frumenti, ut sequutum fuit, emptione facta à Dominico, se obligante frumentum prædictum infrà annum consignare Bernardo, qui vendidit salmas 700. ad commodum Augustini mandantis cum subsequuto effectu, postmodum autem restantes salmas 300. vendidit Æmilio, pretium retinentis in satisfactionem ejus, quod consequi debebat à dicto Bernardo, cujus obitu ad breve tempus subsequuto, ejusque hæreditate detecta non solvendo, consultus fui (incertum est ex cujus parte) an, & quæ actio dicto Augustino competeret contra hæredes Dominici venditoris frumenti pro dictis salmis 300. vel contra Æmilium.

2 Quo ad hæredes Dominici, omninò planum esse respondi, ut contra eos nulla competeret actio, quoniam cum Dominicus prædictus, vel iidem hæredes se obligassent consignare Bernardo frumẽtum, eo ipso quod sequuta fuit consignatio eidem, cum quo contractum est, sequuta fuit debitoris liberatio, quamvis contrahens non fuisset dominus, quoties in solvente dolus positivus non concurrat, ut cæteris relatis plenè apud Surd. *cons.*43. *n.*2. Rota apud Buratt. *dec.*2. ubi Adden. Cavaler. *decis.*345. & plures *sub tit. de credito*.

Quinimò etiam si ille, cum quo contractum est, non proprio, sed procuratorio, vel administratorio nomine contra-
3 xisset, cum obligatione tamen solvendi eidem, ubi expressa non accedat domini, seu principalis inhibitio, benè solvit, ut tanquam absolutum supponitur *d.*202. *part.*12. *rec.* edita in casu, de quo habetur actum *sub tit. de censibus disc.*24. an scilicet imponens censum cum mandatario absentis, benè illum extinguat cum eodem mandatario necnè, atque ratio
4 dubitandi cadebat solum ex eo, quod in mandato non continueretur facultas extinguendi, sed ubi agitur de hujusmodi creditis, & matrimoniis quorum administratio correspondalibus datur, nulla dubitandi ratio cadit.

Adeoque id verum est, quod (cessante dolo positivo, seu
5 collusione, aut ficta solutione) solvens mandatario, vel correspondali quamvis decocto, vel decocturo, benè solvat, quoniam in æquali concursu mandantis, & tertii cum mandatario contrahentis, melior est conditio tertii, sibiq; mandans imputet, cur minus idoneum correspondalem elegerit, Strac. *de decoct. par.*3. *n.*52. & cæteri collecti per Roccum *in notabil. post* 2. *vol. consil. tit. de decoct. notab.*49. *n.*148. & habetur *in Anconitana Fœlium sub tit. de regalibus disc.* 115. ubi de consimili casu ementis merces à correspondali decocturo.

Quo verò ad Æmilium, quando hic citra fraudem, &
6 collusionem pretium effectivè mandatario solvisset, adhuc pro eo dixi respondendum esse ex eisdem fundamentis, ac rationibus, de quibus in dicto consimili, ac individuo casu acto *in allegato disc.*115. *de regal.* secus autem, dum imminente correspondalis decoctione, ita emptio facta est, ut emptor cum alienis bonis mandantis sibi satisfaciat, juxta deducta *in proximè allegato disc.*115. ac etiam *in Romana, seu*
7 *Civitatis vetulæ mercium eodem tit. de Regalibus disc.*129. ubi de puncto, an emens merces à non domino in portu, vel in nundinis, alioque publico emporio reddatur tutus à dominoris res proprias vendicante; Atque distinguitur, an ipsa bona extent, ut vindicatie detur juxta terminos Text. *in leg. incivilem, Cod. de furtis cum concordan.* apud Farinac. *quæst.* 177. *num.*15. & *seqq.* Menoch. *lib.*5. *præsumpt.*29. Rovit. *pragm.*1. *de empt. & vendit.* cum aliis ibi deductis; Quod tamen, ubi agitur de emptione facta in portu, vel publico emporio de mercibus inter negotiantes data bona fide, videtur durum; ac non placet, ut ibi advertitur; Ubi verò non extant, tunc decisio pendet à bona, vel mala fide, & an dici
8 valeat quod tertius dolo deserit possidere, necnè, cum præsupposito tamen sinceræ emptionis, ac veræ, & effectivæ solutionis pretii factæ non domino, secus autem ubi, ut in præsenti, ficta solutio accedit, quoniam de jure in procuratoribus, & correspondalibus, seu aliàs aliena negotia geren-
9 tibus datur facultas faciendi per actus veros, quæ tamen denegatur per actus fictos, cum procurator non possit confiteri, vel acceptare, aut remittere ad Text. *in l. quod stipulatus, ff. de solut. cum concord.* apud Surd. *dec.*229. *nu.*23. Rota apud Merlin. *dec.*373. *repetit. dec.*374. *part.*5. *rec.* & in aliis ut advertitur *in dicto disc.*24. *sub tit. de censibus*, ac etiam in supra allegatis *disc.*115. & 129. *sub tit. de regalibus.*

Ideòque concludebam quod eatenus Æmilius tutus esset ab Augustini molestiis, quatenus frumentum non extaret neque dolo possidere desiisset, atq; in bona fide illud ab ejus debitore in solutum recepisset opinando recipere bona proprii debitoris, non autem aliena, cum tunc nulla videatur subesse actio exercibilis contra tertium, dum contra eum dari non potest personalis ob deficientem obligationem, quæ mater est actionis, minusque realis, dum res non extat, solumque edictum *de his, quæ in fraudem* datur posita fraude, quodque dolo possidere desierit cum ea subsidiaria actio, quæ res perempta, domino datur contra tertium ad pretium, quod verè, vel æquipollenter extet juxtà terminos textus *in l. si me, & Titium, ff. si cert. petat. cum concordan.* procedat contra foventem causam lucrativam, atque ità de alieno se locupletare volentem, non autem contra foventem causam onerosam, ut habetur pluries *sub tit. de credito*, ac etiam *sub tit. de dote*, ac alibi pluries, & insinuatur quoque *dicto disc.*115. & 129. *sub tit. de Regalibus*.

ANNOT. AD DISC. XLII.

De securitate emptoris in portu, vel publico emporio, vel respectivè à correspondali, aut administratore habetur specialiter actum in insinuatis *disc.*115. & 129. *de Regal.* Et conferunt notata supra *ad disc.*13.

CIVITATIS CASTELLI PRÆDII PRO ALBIZINO DE ALBIZINIS CUM ELEONORA ET CATHARINA DE CHRISTIANIS.

Responsum pro veritate.

De Statuto Civitatis Castelli reddente tutum emptorem, qui per aliquod tempus possedit; Et de altero inducente præsumptionem simulationis, si venditor continuavit in possessione, Eorumdemque Statutorum intelligentiam.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De statuto Civitatis Castelli reddente tutum emptorem possidentem per quinquennium.*
3 *De alio statuto ejusdem Civitatis inducente præsumptionem simulationis in venditore.*
4 *Venditio exigit rem certam, & pretium certum, ideòque ex una, vel altera incertitudine, nulla remanet.*
5 *Quid de clausula constituti.*
6 *Contra viventes sub legali administratione patris, vel viri non currit præscriptio.*
7 *Statutum, de quo n.*2. *non procedit, si venditio est nulla.*
8 *Statuta non extenduntur de casu ad casum.*
9 *De alio statuto, de quo n.*3. *quid requirat.*
10 *De eodem, & quando non intret.*
11 *De præscriptione statutaria, præsertim de statuto Urbis quid operetur.*
12 *Cessat ex contraria probatione, vel fortiori præsumptione.*
11 *De statutis adimentibus fidem instrumentis, & scripturis.*

DISC. XLIII.

1 Christinus de anno 1614. recognoscendo se debitorem Margaritæ uxoris, ac cessionariæ Ascanii ejus creditoris in scut. 150. pro hac summa vendidit dictę Margheritę tot cujusdam prędii terras, quę sub ea caderent ad rationem juliorum 16. pro tabula ad ejusdem Margheritæ electionem, atque de anno sequenti, nulla de his habita mentione, idem prædium vendidit Albizino, contra quem, Diana, & Margarita dictorum conjugum filiæ, tanquam matris hæredes judicium instituerunt pro vendicatione tantæ partis dicti prædii quanta sub præfata summa caderet una cum fructibus, assumptoque post diuturnam plurium annorum litem, tractatu concordiæ, ex parte Albizini rei conventi super ejus jurjum, vel exceptionum relevantia consultus fui, ad effectum deliberandi, an dictam concordiam amplecti, sed quomodo se regulare deberet.

Ejus defensores in partibus, præcipuum fundamentum constituebant in præscriptione, stante longissimi temporis pacifica possessione, tam ex terminis juris communis ad text. *in l. omnes, & l. sicut C. de præscript.*30. *vel* 40. *annorum*, quam fortius ex particulari statuto hujus Civitatis *lib.*2. *cap.*29. per quod disponitur, ut emptor pacificè, ac quietè